

ACTA CAPITVLI GENERALIS ROMÆ

IN CONVENTV S. MARIAE SVPER MINERVAM.
Ordinis PRAEDICATORVM celebrati,

In Fefcto Sanctiffis. Pentecoftef, die ij. Iunij M. DC. XXIX.

SVB REVERENDISSIMO PATRE
FR. NICOLAO RODVLFIO
S. THEOLOGIÆ PROFESSORE,

Magiftro Generali totius Ordinis PRAEDICATORVM
in eodem Capitulo vnanimiter electo.




ROMÆ, Apud Haredem Bartholomai Zannetti. 1629.

Superiorum Permissu.

12
A C T A
CAPITVLI GENERALIS
ROMAE
Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. sac. Pal.
A. Episc. Bellicastren Vicesg.

Imprimatur.
Fr. Nicolaus Riccardius Ordinis Prædicatorum, sacri
Palatij Apostolici Magister.



DEFINIENTIBVS³

pariter R.R. Adm. Patribus Prouin-
cialibus & Diffinitoribus:

Nempe

- A**dmodum R. P. Fratre Bertrando Barberio Pro-
uinciali Tolosano.
Adm. R. P. Magistro Fratre Guillelmo Duduy Prouin-
ciali Franciæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Raymundo Montecucolo
Prouinciali vtriusque Lombardiæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Francisco Magdaleno Ca-
piferreo Prouinciali Romano.
Adm. R. P. Magistro Fratre Gregorio Donato Prouin-
ciali Regni.
Adm. R. P. Magistro Fratre Ioanne Goderth Prouin-
ciali Theutoniæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Valeriano Grocolski Pro-
uinciali Poloniæ,
Adm. R. P. Magistro Fratre Francisco Coccino Prouin-
ciali Græciæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Petro Ioanne Saragoza de
Heredia Prouinciali Terræ Sanctæ.
Adm. R. P. Mag. F. Antonio Ribas Prouinciali Bohemię.
Adm. R. P. Magistro Fratre Innocentio Berardi Pro-
uinciali Prouinciæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Ambrosio Luciceo Pro-
uinciali Dalmatiæ.

- 4
Adm. R. P. Magistro Fratre Vincentio Bartolo Prouin-
ciali Trinacriæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Emmanuel Telles Prouin-
ciali Portugalliæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Ioanne de los Angeles Pro-
uinciali Bethicæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Thoma de Grumo Prouin-
ciali Sancti Thomæ Apuliæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Dominico Scoppa Prouin-
ciali Calabriæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Nicolao Linceo Prouin-
ciali Hiberniæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Antonio Masculo Prouin-
ciali Occitaniæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Francisco à Valle Prouin-
ciali Sancti Petri Martyris.
Adm. R. P. Magistro Fratre Stephano de Auria Prouin-
ciali Aprutino.
Adm. R. P. Magistro Fratre Thoma de Lemos Diffini-
tore Hispaniæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Ioanne Iourneo Diffinito-
re Tolosano.
Adm. R. P. Mag. Fr. Ioanne Godin Diffinitore Franciæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Archangelo de Ripalta Dif-
finitore vtriusque Lombardiæ.
Adm. R. P. Magistro Fratre Francisco Orsuccio Diffi-
nitore Romano.
Adm. R. P. Magistro Fratre Andrea Brancaleone Diffi-
nitore Regni.

Adm.

- 5
- Adm. R. P. Magistro Fratre Andrea Alenuortz Diffinitore Theutoniæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Valeriano de Cracouia Diffinitore Poloniæ .
- Adm. R. P. Lectore Fratre Angelo Sperandio de Patauio Diffinitore Græciæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Ioanne Mur Diffinitore Aragoniæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Petro Paulo Tortellio Diffinitore Bohemiæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Ludouico Tournerio Diffinitore Prouinciæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Cornelio Nassio Inquisitore Iadrensi, Diffinitore Dalmatiæ .
- Adm. R. P. F. Bernardo Cuglituri Diffinitore Trinacriæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Christophoro Carbon Diffinitore Portugalliæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Dominico Molina Diffinitore Baticæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Ioanne Boquetio Diffinitore Germaniæ Inferioris .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Martino de Ruuo Diffinitore Sancti Thomæ Apuliæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Vincentio de Petra fitta Diffinitore Calabriæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Ludouico Barroso Diffinitore Mexicanæ .
- Adm. R. P. Magistro Fratre Michael de Arana Diffinitore Peruanæ .

Adm. R. P. Magistro Fratre Petro à Monte nigro Diffinitore S. Vincentij de Chiappa,

Adm. R. P. Magistro Fratre Ioanne Baptista Penna Diffinitore Occitano.

Adm. R. P. Magistro Fratre Francisco Curtiuo Diffinitore S. Dominici Venetiarum.

Adm. R. P. Præsentato Fratre Raymundo Hurtado Diffinitore Quitensi.

Adm. R. P. Magistro Fratre Ioanne Montiel Diffinitore Chilensi.

Adm. R. P. Magistro Fratre Melchiore Mançano Diffinitore Philippinarum.

Adm. R. P. Magistro Fratre Hyacintho Brollia Inquisitore Vercellensi, Diffinitore S. Petri Martyris.

Adm. R. P. Magistro Fratre Dominico Porcinaro Diffinitore Aprutino.

Adm. R. P. Magistro Fratre Mariano Crepiciensì Diffinitore Russiæ.

Adm. R. P. Magistro Fratre Iuliano Ioubert Diffinitore Gallicanæ Congregationis, qui concessione Apostolica hac vice diffiniuit.

Adm. R. P. Fratre Petro Girardello Inquisitore Tolosano, Diffinitore Congregationis Occitanæ, qui concessione Apostolica hac vice diffiniuit.



VNIVERSIS
ORDINIS PRÆDICATORVM
PATRIBVS AC FRATRIBVS

FR. NICOLAUS RODVLFIVS
Sacrae Theologiae Professor,

*Ac eiusdem Ordinis humilis Generalis Magister,
& seruus, salutem in Domino sempiternam.*



FFICII nostri memores in eam
præcipuè curam incumbimus, vt
quibus Diuina Prouidentia præse-
se nos voluit, prodesse valeamus.
Quod equidem Nobis in Domi-
no pollicemur, si quæ à primarijs
Ordinis nostri Patribus piè sãcita
sunt, fideliter à singulis obseruentur. Atque in hunc
finem, Patres, ac Fratres in Christo dilectissimi, am-
plissima Capituli nostri Generalis vltimò Romæ ce-
lebrati Acta vobis prælegenda, & ad praxim redigen-
da transmittimus. Cæterùm, quoniam *finis præcepti,*
& quarumcumque Ordinationum *est Charitas, de cor-*
de puro, conscientia bona, & fide non ficta; omnes &
singulos nostræ curæ commissos summoperè velim
esse præmonitos, quatenus iste finis semper sit primus
in intentione, & in actione præcipuus: ita vt omnia
ex sincera Dei & proximi dilectione fiant, ac præfe-

rantur. Hinc enim feruens in cultu Diuino famulatus: hinc ardens salutis animarum promouendæ zelus: hinc denique totius perfectionis religiosæ concors & vnanimis obseruantia. Siquidem hæc omnia operatur vna & eadem charitas: vtpote *patiens, & benigna, non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*: ipsa deficiente deficit omnis religio, & inutiles ac velut emortuæ sunt quæcumque ordinationes: illa vigente cætera vigent, nec ferè opus esset alijs ordinationibus: vnde & Sponsæ in Canticis hæc vna charitatis ordinatio erat instar omnium: *Ordinauit in me*, inquit, *charitatem*. Ordinauit equidẽ Sponsus Ecclesiæ Christus Dominus in ea charitatem, dum omnia præcepta reduxit ad amorem: nam *qui proximum diligit, legem impleuit*. Ordinauit & in hoc Prædicatorũ Ordine charitatem, dum ei pro scopo seu fine proprio, Prædicationis officium, quod est perfectissimæ charitatis exercitium, præstituit; dum Protoparenti eiusdem Ordinis Prædicatorij fornacem charitatis in pectore, facem veritatis in ore succendit, totum subinde orbem ignea lege inflammaturus; dum tot luminaria, sanctitate vitæ, & splendore doctrinæ ardentia simul & lucentia, huic Ordini tamquam mystico volubili cœlo affixit: Thomam Sacræ Theologiæ Solem micantissimum: Petrum Martyrem, vulpes Samsonis admoto charitatis igne procul abigentem: Hyacinthum Confessorum

fessorum gemmam , qui trans fluuium Boristhenem,
 sicco vestigio diuini amoris igne sublatus, sanctissi-
 mum charitatis Sacramentum , & sacram Matris pul-
 chræ dilectionis effigiem, grauem nimis, sed minimè
 grauitantem , vt à Barbarorum iniuria vindicaret ,
 gestauit illæsus . Antoninos, Raymundos, Vincentios,
 Ludouicos , & innumerabiles alios præterimus, quos
 vt *castrorum aciem charitate ordinatam* , nefarijs Ca-
 tholicæ fidei , solidæq. pietatis hostibus terribilem ,
 quolibet sæculo ad hæc vsque tēpora conspicuos exhi-
 bet *qui numerat multitudinem stellarum* , & *omnibus eis*
nomina vocat . Eia igitur Patres , & Fratres in Christo
 charissimi , eandem vocationis spem per Dei gratiam
 fortiti, vel serò, sed seriò expergiscimini : hora est
 vndecima, circumspicite *regiones iam albas ad messem* ,
 præsertim dum victricibus Principum Christiano-
 rum armis, in Ciuitates , & Prouincias olim rebelles
 apertum est ostium , & liber fit aditus Verbo Dei in-
 salutem gentiū à fide recta deuiantium . *Charitas Chri-*
sti urgeat vos: vt qui viuunt, iam sibi non viuunt, sed
Ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit . Zelus Sā-
 ctissimi Patris Nostri DOMINICI iugiter pro Domi-
 no Deo exercituum zelantis, vos tāquam filios ad imi-
 tationem pertrahat. En manus auxiliatrices tot ac tan-
 ti nostri Ordinis Sancti de cælo vobis porrigunt, &
 apud Imperatorem militiæ nostræ Christum Iesum
 orant indefinenter, *vt innouentur dies nostri sicut à prin-*
cipio . Hoc ipsum expetunt, & expectant à vobis Ciui-
 tates , Prouinciæ , Regna , & Imperia totius Reipubl.

Chri-

Christianæ: nempè hunc potissimè Ordinem Prædicatorum excellentissimo fine præminentem, & sanctissimis communium legibus, primæuam arctioris obseruantia formam resumere, & ad pristinum sanctitatis, & doctrinæ splendorem reuocari.

Id ipsum denique ratio vestrae professionis exigit: quæ licet vos in statu perfectionis non constituat, ad ipsius tamen consecutionē, per media à sanctis Patribus Ordinis nostri verbo & exemplo præscripta, ut iugiter adspiretis, & toto animi conatu cōtendatis, astringit: nam in via Dei non progredi, est retrogredi; & qui non vult fieri melior, desinit esse bonus. *Contendite igitur intrare per angustam portam, & incedere per viam arctam, quæ ducit ad vitam: lata enim, quā plures inambulāt, ducit ad perditionem.* Verè, Fratres mei desideratissimi, ex quo vestrae omnium salutis cura Nobis demandata est, & rationem de animabus vestris Deo Nos esse reddituros sæpius recogitamus, non mediocriter angimur, & contremiscimus, scientes quoniam *iudicium durissimum his qui præsumunt fiet.* Vnde & vos magis obediendo non solum vestri, sed etiam Nostri potius miseremini, qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versamur. Assiduus itaque precibus, apud eundem supremum omnium Iudicem simul & Aduocatum, spes nostras erigite; vestrisq. in omni genere virtutum exemplis, Nos inter tot cūras, labores, & pericula huic nostro Muneri annexa, exhilarate. Sic enim reputabimus Nos, non Potestate dominante, sed Charitate seruiente felices.

ACTA

ACTA CAPITVLI GENERALIS ROMAE

In Conuentu S. Mariæ super Mineruam Ordinis Prædic.
celebrati in sanctissimo festo Pentecostes, ij. Iunij
Anno Domini M. DC. XXI. X.

Sub Reuerendissimo Patre

FR. NICOLAO RODVLFIO
FLORENTINO,

Sacræ Theologiæ Professore, Magistro Generali totius Ordinis Prædic. in eodem Capitulo unanimiter electo.



IN NOMINE SANCTISS. TRINITATIS
Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Mariæ sem-
per Virginis, & B. P. N. Dominici, omniumq.
Sanctorum, & Sanctarum Dei.

DENVNCIATIONES.

DENVNCIAMVS vniuersis nostri Ordinis Fratribus, vacante Magisterio Ordinis per obitum piæ recordat. Reuerendissimi Patris Magistri Fratris Seraphini Sicci, fuisse canonicè, & unanimiter electum totius nostri Ordinis Magistrum Generalem Reuerendissimum P. Fr. Nicolaum Rodulfum Romanæ Prouinciæ, Sacri Palatii Magistrum, & Vicarium Ordinis Apostolicum; eundemq. Sanctissimo Domino nostro VRBANO Papæ VIII. solemnî totius Capituli processione oblatum, & ab eodem benignè hilariterq. acceptum.

Item

Item denunciamus, ab eodem Sanctissimo Domino nostro creatum fuisse Sacri Palatii Apostolici Magistrum Reuerendiss. Patrem F. Nicolaum Riccardum Prouinciæ Hispaniæ.

Item denunciamus placuisse Sanctissimo D. N. VRBANO Papæ VIII. specialibus fauoribus, & gratijs nostrum Ordinem, prosequenti, ad instantiam Magistri Ordinis, & Capituli, concedere litteras Apostolicas in forma Breuis, tenoris sequentis, videlicet.

A tergo. Dilecto filio Nicolao Rodulfo Magistro Generali Ordinis Fratrum Prædicat. Loco ✱ annuli Piscatoris. *Intus verò.*

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum, sicut Nobis nuper exponi fecisti, celebratio Capituli Generalis ipsius Ordinis Fratrum Prædicatorum, in quo eiusdem Ordinis Magister Generalis electus fuisti, ut multa pro felici ipsius Ordinis gubernio iuxta solitum componantur, continuet: & propterea multa, quæ iuxta temporum exigentiam ordinata, & per tuos in huiusmodi Generalatus officio Prædecessores, seu eiusdem Ordinis apud hanc Sanctam Sedem Protectores, seu Visitatores, aut Commissarios, cum eiusdem Sanctæ Sedis participatione, & auctoritate publicata fuerunt; vel reuocanda, vel limitanda, seu ad terminos Constitutionum dicti Ordinis reducenda sint: ideòq. pro parte etiam dicti Capituli Nobis humiliter supplicari feceris, ut tibi de opportuna in præmissis facultate providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos votis tuis quantum cum Domino possumus annuere, teq. specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & penis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo, & dicti Capituli nominibus Nobis per te super hoc humiliter porrectis inclinati: Tibi, ut in continuatione Capituli generalis huiusmodi, omnia & singula, quæ ut præfertur, iuxta temporis exigentiam ordinata, & per tuos in huiusmodi Generalatus officio Prædecessores, seu Protectores, aut Visitatores, seu Commissarios præfatos publicata fuerunt, & quæ pro felici eiusdem Ordinis gubernio, vel reuocanda, vel limitanda, seu, ut præfertur, ad terminos præfatarum Constitutionum Ordinis

nis reducenda erunt, renocare, limitare, vel prout præfertur, reducere possis, & valeas, Apostolica auctoritate tenore præsentium, plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus & impartimur. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenore præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub anno Piscatoris, die 4. Iunij 1629. Pontificatus nostri anno VI.

M. A. Maraldus.

Pro felici igitur nostri Ordinis gubernio, & vt faciliori remedio conscientijs Fratrum nostrorum consulere possimus, auctoritate, & facultate Apostolica nobis vt supra concessa, omnes, & singulas ordinationes auctoritate Apostolica roboratas, tam pro toto Ordine, quam pro particularibus Prouincijs, & Conuentibus à Magistris Ordinis, Protectoribus, Visitatoribus, seu Commissarijs Apostolicis hucusque editas, & publicatas, ad terminos Constitutionum, & Ordinationum nostri Ordinis reducimus, & ita limitamus, vt in posterum vim quidem Ordinationum (non autem auctoritate Apostolica roboratarum, & publicatarum) obtineant; ac proinde in eis, earumque censuris, & pœnis Magister Ordinis, eiusque successores pro tempore, seu illi, quibus ab ipsis commissum fuerit, sicut in cæteris omnibus nostri Ordinis Constitutionibus, & Ordinationibus, ex rationabili causa dispensare, & absoluerè possint & valeant.

Item denunciamus Sacram Congregationem Rituum, Sanctissimo Domino Nostro annuente, decreuisse *Festa Sanctorum Hyacinthi, & Catharinæ Senensis in Breviario Romano inferenda*, ac de eis per vniuersam Ecclesiam sub ritu duplici, & semiduplici respectiue persoluenda.

Item denunciamus Sacram Congregationem Rituum die 20. Decembris 1621. edidisse huiusmodi Decretum in causa Canonizationis Beati Ludouici Bertrandi; scilicet. *Discussa diligenter, & maturè*

maturè perpensa de mandato Sanctissimi Domini Nostri, in ordine ad Canonizationem, causa B. Ludouici Bertrandi Valentini Ordinis Prædicatorum: Congregatio Sacra Rituum, pluribus desuper habitis sessionibus, Illustriss. Card. Pignatello referente, censuit Tunc posse Sanctiss. D. N. quandocunq. sibi libuerit, ad solemnem eiusdem Beati Ludouici Canonizationem iuxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum, & sacrorum Canonum dispositionem deuenire; eumq. diffinire Sanctum cum Deo regnantem, atque vniuersali Ecclesiæ proponere colendum ac venerandum.

Franciscus Maria Cardin. à Monte.

Locus * sigilli.

Ioannes Baptista Rinuccinus Secr.

Item denunciamus à Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum decretum fuisse, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi quominus per seipsos in Diœcesibus ubi habent Conuentus, eleemosynas quærant: sed tantum si extra loca, ubi Monasteria existant, quærere voluerint, teneri suorum Superiorum licentiâ Ordinario ostendere.

Item denunciamus eandem Sacram Congregationem Concilij decreuisse, quòd quoties cadauera Defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia Mortuorum, ac reliqua, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, ac peragi debere: cuius Decretum est infrascripti tenoris, scilicet.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum sæpius censuit, Quoties cadauera Defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia Mortuorum, ac reliqua, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, ac peragi debere.

Cof. Card. de Torres.

Locus * sigilli.

P. Fagnanus.

Item denunciamus Sacram Congregationem Episcoporum Regularium decreuisse, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosq. locorum Ordinarios, ad quos Confessarios approbandi ius spectat, non posse suspendere ab audiendis confessionibus Regulares Confessarios alijs ab ipsis liberè approbatos, nisi noua superueniente causa ad ipsas confessiones pertinente, vel ob non seruatum interdictum ab eisdem Ordinarijs impositum. Insuper statuit, eosdem
Archie-

Archiepiscopos, Episcopos, Ordinariosq. nullo modo adimere, posse facultatem confessiones audiendi omnibus Regularibus vnius Conuentus simul, Sacra Congregatione inconſulta, per ſequens Decretum.

Statuunt inſuper, eoſdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumq. Ordinarios, confessiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Conſeſſarijs, eadem Sacra Congregatione inconſulta, nullo pacto adimere poſſe. Quod quidem Decretum, vt ijdem Illuſtriſſimi Patres opportunum & neceſſarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obſeruari. Romæ 10. Nouembris 1615.

A. Mar. Episc. Hoſtienſ. Card. Gallus.

Locus † ſigilli.

V. Theat. Secret.

CONFIRMATIONES.

I.  ONFIRMAMVS id, quod pluries ſancitum, eſt, vt nullus prætextu Prælaturæ, aut Lecturæ præteritæ Prædicaturæ generalis, ſiue alterius cuiuslibet Officij, ſiue etiam titulo Paternitatis, à ſequela Chori, & hebdomadarij diu noctuque ſe exiſtimet exemptum, Magiſtris in Theologia, & Lectoribus actu legentibus, ac Prædicatoribus actu prædicantibus dumtaxat exceptis: circa quos laudabiles Prouinciæ ſuorum conſuetudines ſeruentur. A Completorio vero, Salue Regina, & Officio Mortuorum, nullus eximatur. Reuocantes omnem licentiam, & conſuetudinem in contrarium.

II. Confirmamus id quod ſæpiſſimè etiam auctoritate Apoſtolica ſtatutum eſt, & ſub formali præcepto, ac pœna priuationis vtriuſque vocis, quorumcumque graduum, & officiorum, nec non excommunicationis latæ ſententiæ mandatum: Ne ſcilicet Fratres quacumque ex cauſa audeant contra ſeriem noſtrarum Conſtitutionum, & Bonifacij Noni, & Congregationis Regularium decreta, ad quæcumque Tribunalia extra Ordinem conſtituta, quoquo pacto appellare. Quam legem ſub eiſdem pœnis obſeruandam innouamus.

III. Confirmamus Ordinationem aliàs factam, ne Fratres cuiuſcunque gradus, ſtatus, & conditionis fuerint, pecunias, vel bona quocumque modo, & ſub quouis titulo ab eis acquiſita, vel quomodolibet habita, apud perſonas extra noſtri Ordinis obedientiam

dientiam constitutas habere, vel eis mutuo dare, vel super iisdem negotiari, lucrumq. aliquod capere audeant. Mandantes omnibus Prioribus tam Prouincialibus, quàm Conuentualibus, locorumq. Præsidentibus, sub pœna absolutionis ab eorum officijs, vt Fratres in hoc delinquentes tanquam proprietarios, & furti reos seuerè puniant, eosdemq. omnibus, ac singulis pecunijs, bonisq. priuent, ac spolient; eaq. omnia ad commune Religionis depositum, (cui ex nunc omnes pecunias, ac bona præfata adiudicamus) Romam sub eadem pœna quàmprimum transmittant. Propterea, vniuersis totius nostri Ordinis Prioribus, & locorum Præsidentibus, sub eadem pœna mandamus, vt obseruari omninò curent Constitutionem aliàs factam, qua præcipitur, vt omnes Fratres semel in anno omnia mobilia, pecunias, & bona quomodocunque ad eorum vsum concessa, iisdem Prioribus, ac Præsidentibus scripto fideliter exponant, ac Prouincialibus in eorum visitationibus exhibeant, eorum omnimodæ dispositioni eadem liberè relinquendo.

IV. Confirmamus Ordinationem multoties factam, vt omnes Prouinciales, & Vicarij Congregationum sedulò curent, certam habere notitiam reddituum suorum Conuentuum, ac locorum, bonorumq. omnium tam mobilium, quàm immobilium, eorumdem: quæ libris authenticis distinctè, diligenterq. Syndicorum opera adnotata, in communi Archiuio Prouinciæ, siue Congregationis conseruentur.

V. Confirmamus, & inuiolabiliter obseruari mandamus omnibus Prioribus Prouincialibus, ac Conuentualibus, vt Fratres accusatores suorum Fratrum apud quodcunque Tribunal, qui in canonicis, & iuridicis defecerint, pœna talionis indispensabiliter puniant.

VI. Confirmamus, & innouamus Ordinationem sæpissimè statutam contra deferentes lineas subuculas sub pœnis in eadem Ordinatione contentis. Mandantes Prioribus Prouincialibus, vt in suis visitationibus Priores, ac Præsidentes Conuentuum, quos in huiusmodi Ordinationis obseruantia procuranda, reisq. puniendis inuenerint negligentes, à suis officijs absoluant.

VII. Confirmamus Ordinationem aliàs factam, vt Magistri omnes, Lectores, & Prædicatores, tam verbo, quàm scripto, Sancti Thomæ Doctoris nostri doctrinam in omnibus fideliter sectentur, actueantur: nec ab ea recedere sub pœna priuationis quorumcumque graduum, & officiorum, perpetuæ inhabilitatis ad

etiam, vel Congregationem, & in itinere morientium: ac etiam ex bonis Fratrum, qui in aliena Prouincia decedunt; quorum dispositio iuxta nostras Constitutiones, etiam ordinationi Magistri Ordinis relinquitur: & denique ex pecunijs tanquam ab excommunicatis, & proprietarijs Fratribus possessis, quas iidem Fratres ex Indijs Orientalibus, vel Occidentalibus, vel alijs partibus contra prohibitionem à Pio IV. factam in sua Constit. sub datum Romæ die xij. Augusti 1562. & in Capitulo Generali Romæ 1589. admonitione vltima acceptatâ, asportasse, seu asportare præsumperint: exceptis his, quæ viatico suo verosimiliter necessariæ fuerint, & à Superiori suo in partibus illis existente, per litteras suas, pro dicto viatico fuerint taxatæ. Non obstantibus quibuscumque Ordinationibus Capitulorū Generalium in contrarium: quas ad effectum præsentium specialiter & expressè reuocamus. Ad hæc autem omnia bona, & pecunias prædictas colligendas committimus Magistro Ordinis, vt in vnaquaque Prouincia deputet Collectorem, qui diligenter prædicta omnia conquirat, pertractet, & exigat, ac fideliter in hanc Almam Urbem, ad ipsum Magistrum Ordinis pro instruendo præfato communi Deposito transmittat: cui Collectori, auctoritate etiam nostra, omnem ad prædicta omnia exequenda necessariam conferat facultatem.

XI. Ordinamus, vt cùm Iulius II. disposuerit ne Prouinciales vltra quadriennium in officio Prouincialatus perseuerent, ad vniuersitatem durationis Superiorum in nostro Ordine seruandam, & regimen Prouinciarum, & Cōuentuum eiusdem vtiliter, & quietè administrandum, Prouinciales durent in suis officijs quadriennio, & Priores Conuentuales triennio, exceptis Prouincijs, in quibus est speciale indultum Apostolicum. Dictum verò Prouincialium quadriennium ab ipso electionis Capitulo, & Priorum Conuentualium triennium à die, & horâ acceptationis eorundem incipiat. Præsens autem Ordinatio, tam quoad Prouinciales, quàm quoad Priores siue præsentis, siue futuros, suum incipiat sortiri effectum ab ipsa die primæ publicationis eiusdem in præsentis Capitulo, & Diffinitorio factæ. Quo ad Vicarios verò Congregationum, dicta Constitutio Iulij II. obseruetur, vt videlicet triennium non excedant.

XII. Ordinamus, in quadriennio Priorum Prouincialium habendam congregationem intermediam ex certo Vocalium numero: qui ex Patribus Prouinciæ, antiquioribus Magistris, & præcipuorum Conuentuum Prioribus à Prouinciali in qualibet Prouincia designandorum constet. In huiusmodi Congregatione fiat scruti-

nium de absolutione, vel confirmatione Prouincialis Magistro Ordinis, vel Diffinitoribus Capituli Generalis transmittendum, cæteraq. ad commune Prouinciæ bonum spectantia tractentur. Non tamen in ea liceat Diffinitores prouincialis, aut Capituli generalis eligere, vel petitiones Prouinciæ formare, vel Prædicatores generales instituere, nisi in illis Prouincijs, in quibus est circa hoc specialis dispositio ex Indulto Apostolico. Instante verò electione Magistri Ordinis, fiet Capitulum Prouinciale pro eligendo Diffinitore, & Electore.

XIII. Ordinamus, vt quando in visitatione sue Prouincialium, sue aliorum Visitatorum, aderit sufficiens causa absolutionis Priorum Conuentualium, sue ex culpa in suo regimine, sue ex alia, quæ non indicat infamiam personalem; ad legitimam huiusmodi Priorum absolutionem sufficiat, vt de causa verè constet: & capita quæ aduersus Priorem à subditis in visitatione proponuntur, sint ab eisdem manu propria subscripta, & Visitatori tradita, vt admoneat Priorem, vt ad obiecta sibi in scriptis respondeat quibus omnibus deinde à Prouinciali in Consilio duodecim vel octo Patrum, vel saltem quatuor in Prouincijs desolatis, in alio Conuentu examinatis ac discussis, statuatur quid agendum fuerit. Hanc autem procedendi formam ita à nobis præscriptam, sufficientem ad absolutionem declaramus, vt Prior qui secundum eam fuerit absolutus, de sibi denegata iustitia conqueri minimè valeat. Si verò delicta Prioris, aduersus quem agitur, infamiam Ordini, & personæ inurant; tunc iuris seruato ordine, iuridicè procedatur. Admonemus tamen Patres Prouinciales, eisdemq. præcipimus, ne postremo sui officij anno, præsertim infra tres menses ante finem, absque vrgentissima necessitate Priores à suis officijs absoluant, vel Fratrum mutationes faciant: præterquàm in casibus in nostris Constitutionibus expressis.

XIV. Ordinamus, & omnino inhibemus omnibus Definitoribus Capituli Prouincialis, ne auctoritatem Priori Prouinciali immutandi, diminuendi, augendi, vel alio quouis modo disponendi acta Capituli Prouincialis concedant. Item prohibemus omnino Prioribus Prouincialibus, ne quæ communi Capituli Prouincialis auctoritate sancita sunt, sua priuata auctoritate rescindant, quod si secus fiat, totum sit irritum & inane.

XV. Ordinamus, & Patribus Prouincialibus omnino mandamus, ne Fratrem aliquem Prædicatorem generalem instituunt, nec instituendum in Capitulo Prouinciali proponant, nisi prius facultate ac iussu eiusdem Prouincialis à Patribus Moderatoribus Studij

gene-

generalis Prouinciæ, non perfunctoriè, sed exactè examinatus & approbatus fuerit. Fratres verò, qui ad huiusmodi munus iuxta nostras Constitutiones approbati, ceterisq. iuxta earundem præscriptum requisitis ornati inuenti fuerint, poterunt quidem à Patre Prouinciali vel Vicario Prouinciæ, (quod ordinamus per modum inchoationis, cum dispositio Constitutionis condita, quando Prouinciales cessabant ab officio solum per mortem, vel amotionem, locum in pluribus Prouincijs habere non possit) vnà cum Definitoribus in Capitulo congregatis Prædicatores Generales institui; numquam tamen hi erunt aut censentur voce ceterisq. priuilegijs donati, nisi à Patribus Prouinciæ vnà cum Prouinciali & Definitoribus in Capitulo congregatis, per vota secreta fuerint acceptati. Quod si secus fiat, totum sit irritum & nullum. Prouinciales verò ac Definidores prædicti inuiolabiliter obseruabunt id quod sæpius iuxta Constitutiones sancitum est: ne scilicet Prædicatorum generalium numerus Conuentuum Prouinciæ numerum excedat. Nul- lus demum instituat, nec acceptetur Prædicator generalis, nisi designato prius illi Conuentu, pro quo institutus sit, & in quo semper commorari debeat; ita vt si in huiusmodi Conuentu, pro quo institutus est, non permanferit, nullo modo voce gaudeat; nisi fortè à Superioribus alibi assignaretur, vel occuparetur in officio Prioris, Supprioris, & Vicarij alicuius loci, Magistri Nouitiorum, Sindici, Confessoris Monialium, vel Lectoris, & Prædicatoris actu legentis, vel prædicantis. Declarantes hanc Ordinationem eos Prædicatores generales non afficere, qui ante præsens Capitulum alias instituti & approbati, vocis possessione gaudebant.

XVI. Ordinamus, vt promouendi ad quoscunque gradus examinentur primum in Studijs generalibus suarum Prouinciarum à Patribus Moderatoribus eorundem: quos in Domino monemus, vt præ oculis habeant excommunicationis sententiam iam latam, quam nunc etiam præsentis statuto ferimus aduersus Examinatores, qui indignos approbant, vel recipiunt. Qui verò in Studijs generalibus, seu Conuentibus, priuilegijs Studij generalis gaudentibus, pro gradu & forma legerint, ceterisq. omnibus requisitis omnino satisfecerint, ad aliud examen pro gradibus assequendis non amplius teneantur, *iuxta Ordinationem Romæ 1601.*

XVII. Ordinamus, vt in omnibus Studijs generalibus singulis annis, Studentes omnes tam formales, quam materiales, in litteris & moribus coram Priore & ceteris Moderatoribus examinentur: & culpabiles per vota secreta excludantur.

XVIII. Ordinamus, & in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ sub formali præcepto mandamus omnibus Prouincialibus, Diffinitoribus, Magistris & Patribus Prouinciæ, vt petitiones Prouinciæ quo ad gradus præcipuè, fiant solum in ipso Capitulo Prouinciali ab admodum Reuerendo Patre Prouinciali vnâ cum Diffinitoribus, & Patribus Magistris, & Patribus Prouinciæ in ipso Diffinitorio simul congregatis. Quòd si extra ab eis disiunctim, & priuatim clam huiusmodi petitiones factæ fuerint, sint omnino irritæ & nullæ.

XIX. Ordinamus, & omnino sub pœna inhabilitatis ad omnes gradus prohibemus omnibus Diffinitoribus tam Capituli Generalis, quàm Prouincialis, ne pro se ipsis gradus aliquos in Capitulo Generali petere valeant.

XX. Ordinamus, vt in casu mortis vel amotionis Prioris Prouincialis, teneatur Vicarius Prouinciæ infra mensem indicare futuri Capituli Prouincialis conuocationem; & cum primum constiterit mors, vel amotio Prouincialis, coacto duodecim, vel ad minus octo Patrum grauiorum Prouinciæ consilio, tempus, locum, & cetera ad futuram electionem spectantia determinabit, sub pœna absolutionis ab officio ipso facto incurrenda.

XXI. Ordinamus iuxta dispositionem sacri Concilij Tridentini *Sess. 15. cap. 2.* vt Fratres redditus annuos quocunque titulo habentes, eos non per se, sed per Syndicum nomine Conuentus exigant, ac de eisdem in libro communis depositi tam pro receptis, quàm pro expensis, rationem reddat ipse Syndicus. Contrafacientes verò pœnam proprietarijs debitam, nec non etiam amissionis pecuniarum, & quorumcumque honorum ipso facto incurrant.

XXII. Ordinamus, vt Prouinciales, adhibitis primum necessarijs diligentijs circa scrutinium electionis Prioris, secundùm nostras Constitutiones, & prudentiam adhibendis, de consilio Patrum huiusmodi electionem approbare, vel cassare, prout in Domino iudicabitur expedire, quamprimum teneantur. Ipsi verò Priores electi statim ac confirmationem receperint, eam acceptare, vel recusare infra spatium trium horarum teneantur, die & hora acceptationis in iisdem litteris patentibus confirmationis propria manu coram duobus testibus descriptis, sub pœna suspensionis ab eorum officijs ipso facto incurrenda.

XXIII. Ordinamus, vt Magister Ordinis in qualibet Prouincia designet aliquem Fratrem sibi probatum, qui sit collector bonorum, quæ ad commune Religionis depositum spectabunt: cui Patres

tres Prouinciales, & Priores, pecunias, ac bona deposito com muni adiudicata, absque vlla mora consignare teneantur, sub pœna absolutionis à suis officijs. Quæ omnia & singula præfatus Collector quamprimum Romam tutè prudèterq. transmittat, Depositarijs a Reuerendissimo institutis authenticè consignanda: cui etiã, si ei videbitur expedire, committat collectionem suarũ contributionum.

XXIV. Ordinamus, vt tam Priores Prouinciales, quàm Conuentuales, in termino suorum officiorum rationem reddant status, & administrationis suarum Prouinciarum, & Conuentuum: Prouinciales quidem Diffinitoribus Capituli Prouincialis, Priores verò Patribus a consilijs.

XXV. Ordinamus, vt Frater, qui per continuum decennium in aliqua ex Indiarum Prouincijs assignatus permanferit, intelligatur ita incorporatus ac translatus ad huiusmodi Prouincias; vt Diffinitor, & Elector Magistri Ordinis, ac Procurator generalis eiusdem Prouinciæ eligi possit, non secus ac si esset filius natiuus Prouinciæ, vt habetur in Constitutionibus, *dist. 2. cap. 5. tex. 6. lit. D.*

XXVI. Ordinamus pro Prouincijs Indiarum, vt cùm ad electionem Magistri Ordinis per obitum vel amotionem, prædictarum Prouinciarum Fratres ob maximam ab Alma Vrbe distantia oportunè conuocari nequeant, & si Priores Prouinciales, vel Diffinitores & Electores statuto tempore ad electionem venire, vel ipsi respectiuè eligi ad id munus non potuerint, assumantur, & admittantur ad Capitulum Generale, omniaq. & singula munera, & actus proprios Diffinitorum, & Electorum (& si Capitulum Generale fuerit Prouincialium, etiam sociorum Prouincialium) Patres Procuratores generales dictarum Prouinciarum legitime instituti: dùmmodo tamen potiori iure admittantur, & præferantur ex huiusmodi Procuratoribus illi, qui propius ad præscriptum nostrarum Constitutionum accedunt, ordine in eisdem statuto, ac disposito, *dist. 2. cap. 5. lit. D. in glossa.*

Item ordinamus, pro ijsdem Indiarum Prouincijs, & concedimus, vt ad Diffinitoris, & Electoris Magistri Ordinis officium legitime admitti possit Diffinitor, qui propter aliud Capitulum iam reperiatur electus, nondum tamen suo munere perfunctus fuerat.

XXVII. Item concedimus, & declaramus, Diffinitorem legitime electum Capituli Generalis, qui in Capitulo in mediata præcedenti diffiniuit, iterum, si opus fuerit, ad diffiniendum & eligendum admitti posse; non obstante nostra Constitutione oppositum statuente: cùm illa Constitutio sit facta antequam erigerentur Pro-

uinciarum Indiarum; ob quarum distantiam iam patet eiusmodi Constitutionis, apud illas, obseruantia impossibilis. Hortamur tamen ac monemus in Domino omnes, ac singulos Patres Prouinciales, Diffinitoresq. Capituli Prouincialis dictarum Prouinciarum, vt tales Procuratores eligant, instituantq. ad suarum Prouinciarum negotia pertractanda, quales eligerent in Diffinitores, Electoresque; vt non minus dignè ad supremæ electionis munus assumantur, quàm si in suis Prouincijs ad id iuxta nostrarum Constitutionum præscriptum eligerentur.

XXVIII. Ordinamus, quòd cum ex nostris Constitutionibus, *dist. 1. cap. 18. text. 5.* Frater, qui crimina quæcunque Fratrum, sæcul. ritus, & extra obedientiam nostri Ordinis constitutis, vnde Fratribus, vel Ordini, infamia fuerit subsequuta, reuelat, pœnæ grauioris culpæ, & carceris, sit subiectus; volumus eandem pœnam ipso facto incurrere accusatorem, & reum, siue ipsorum procuratores Fratres, qui in causis criminalibus, ex quarum notitia, nostro Ordini infamia inuritur, recurrunt ad sæculares Aduocatos, Procuratores, Iurisperitos, seu quocunque modo auxiliatores, siue patrocinantes, sub quouis prætextu consulendi, informandi, scribendi, seu patrocinandi: nisi fortè in casu necessitatis, si reus nesciat se iuridicè defendere, nec habeat in Ordine, qui iuridicè eius defensiones facere possit, suppresso nomine Ordinis, actoris, rei, & testium, aliquem ex peritis sub secreto consulat.

XIX. Ordinamus omnibus Prioribus Prouincialibus, vt in quolibet Prouincia, iuxta exigentiam & amplitudinem eiusdem, statuât duos vel tres Conuentus præcipuos; vel si Prouincia exigua fuerit, vnum saltem; in quibus, vel in quo legantur assiduè controuersiarum fidei, & tractatus ad Euangelicam prædicationem spectantes: ita, vt in posterum nullus instituatur Prædicator, nisi per tres annos Theologiæ, & duos vel vnum controuersijs, moraliq. Theologiæ operam dederit. aliàs, eius institutio nulla sit.

XXX. Ordinamus complendam extructionem Collegij concessi ac dotati ab Illusterrimis DD. Ducibus S. Ioannis Rotundi: quod acceptamus conformiter ad decretum Sacræ Congregationis de propaganda Fide, pro Fratribus & Alumnis Illyricis; cum legibus & conditionibus in instrumento à Reuerendissimo Patre Magistro Ordinis approbato.

DECLARATIONES.

I. **D**ECLARAMVS, in nostris Constitutionibus, Bar-
chinone impressis anno 1625. *dist. 2. post cap. 16.*
De certis detractiōibus, omisum fuisse totū cap. 17.
immediatē sequens: ideōq. esse omnino ibidem resti-
tuendum ex antiquis nostris Constitutionibus: *De Capitulo bienna-
li vel trienniali.*

II. Declaramus nostram Constitutionem, & glossā *dist. 2. cap. 4. text. 4. lit. D.* sic esse intelligendam. Primò, quòd si post Capitulum Generale mors, vel amotio Magistri Ordinis contingat, & ante eius notitiā Capitulum Prouinciale fuerit celebratum, & electio Magistri Ordinis celebrata sit in proximo festo Pentecostes in Capitulo Generali, quod sit Diffinitorum; tunc Diffinitor Capituli Generalis, & eius socius in Capitulo Prouinciali immediatē præcedenti electi, erūt Magistri Ordinis Electores. Si verò Capitulum electionis Magistri Ordinis fuerit Prouincialit, tunc duo ex Diffinitoribus Capituli Prouincialis immediatē præcedentis antiquiores in professione, erunt Magistri Ordinis Electores; eorumq. antiquior in Ordine erit illo anno Capituli Generalis Diffinitor. Secundò, si post Capitulum Generale ante notitiā mortis vel amotionis Magistri Ordinis, non fuerit celebratum Capitulum Prouinciale, celebrabitur; & in eo duo Electores à pluribus ultra medietatem eligantur, quorum vnus erit Capituli Generalis Diffinitor, & alter Elector. Tertiò, si ex quacunque causa Diffinitor & socius, vel Electores prædicti non fuerint electi, nec suppetat tempus, vt eligantur, vel propter quòdcumque iudicio discretorum legitimū impedimentum; tunc duo ex Diffinitoribus immediatē præcedentis Capituli Prouincialis, qui primitus habitum nostri Ordinis susceperunt, erunt Magistri Ordinis Electores: & antiquior eorum in Ordine erit Diffinitor in Capitulo Generali electionis. Et secundum hanc declarationem intelligendam esse decernimus *gloss. dist. 2. cap. 8. lit. I.*

III. Declaramus, in nostris Constitutionibus *dist. 2. cap. 14. in fin. gloss.* post mentionem Constitutionis Sixti V. contra male promotos, addendum esse, quòd Clemens VIII. Constitutione sua, quæ incipit *Romanus Pontifex*, sub datum Romæ apud S. Petrum pridie kal. Maij 1595. reduxit præfatam Constitutionē Sixti

ad terminos Canonum, & ad Constitutionem Pij II. quæ incipit *Cum ex sacrorum*, & ad dispositionem etiam Concilij Trident.

IV. Declaramus circa *cap. 15. D. secundæ nostrarum Constitutionum*, quòd Conuersi in Cõuentibus, in quibus possunt recipi, non obligantur educari in domo Nouitiorum, neque comprehenduntur in Decretis de Nouitijs: sed seruetur circa illos Bulla Sixti V. qua præcipitur, vt habeant viginti annos completos, & sint in Doctrina Christiana sufficienter instructi. Ita declarauit Congregatio Reformationis Regularium die 20. Iulij 1602.

V. Declaramus, quòd in ijs, quæ de consilio Patrum tractanda sunt, & determinanda per vota secreta, Patres à consilijs habet votum non solum consultiuum, sed etiam decisiuum. vnde quando Priores grauiora negocia habent discutienda, de ipsis Patres à consilijs præmonere teneantur, vt maturius ea decernant.

VI. Declaramus, Ordinationem Capitulorum Generalium irritantem receptionem ac professionem in nostro Ordine eorum, qui in alijs Ordinibus iam professi fuerant, intelligendam tantum esse de professis ab alijs Religionibus eiectis.

VII. Declaramus, quòd in Conuentibus vbi sunt sex Vocales, si vnus eorum voci renunciauerit, & ipse deinde à quatuor ex eis eligatur, talis electio nulla sit; & huiusmodi renunciatio in fraudem facta censeatur.

VIII. Declaramus (non obstante Capituli Generalis Parisiensis 1611. *Ordinatione 10.*) quòd vt Vocales alicuius Conuentus possint eligere Priorem, qui sit de corpore Capituli, sufficiunt quinque Electores: & Prior electus à quatuor Vocalibus, erit canonicè electus.

IX. Declaramus *Ordinationem Vallisoleti 1605.* statuentem, Conuersos ad habitum Clericorum receptos, non habere vocem nisi post xij. annos à susceptione habitus clericalis, esse inuiolabiliter obseruandam, quibuscunque in contrarium non obstantibus.

X. Declaramus *Ordinationem Romæ 1580.* statuentem nullo modo instituendos esse Vicarios in capite super Priores Conuentuales, nisi vrgentissima causa Magistro Ordinis significata, sic intelligendam esse: scilicet vt Prouinciales antequam Vicarium in capite super Priorem Conuentus instituunt, teneantur monuisse Magistrũ Ordinis, si citra montes adsit; si verò fuerit ultra montes, fat erit, vt Prouincialis de huiusmodi institutione Vicarij à se facta, & causa necessitatis vrgentis ipsum quamprimum certiore faciat.

XI. Declaramus, quòd si contigerit Diffinitorem Capituli Prouin-

uincialis eligi ex illis, qui non sunt de corpore Capituli, talis electus ex vi officij, Diffinitoris vocem non habebit, nec ad electionem, Prouincialis admittendus erit; Prouincia Græciæ tantum excepta.

XII. Declaramus, quòd quando ius prouidendi Conuentui ad Prouincialem, iuxta nostrarum Constitutionum præscriptum, deuoluitur, si Prior à Prouinciali institutus Prioratum acceptare recusauerit, iam iterum tale prouidendi ius penes Prouincialem residebit: ita tamen, vt semper Prouincialis, quoties ad ipsum electio, vel institutio Prioris deuoluitur, id absque grauiorum Patrum consilio (quorum maiori parti stare debet) non exequatur.

XIII. Declaramus, quòd quando per Constitutionem præfigitur Vocalibus mensis electionis à die notitiæ carentiæ Prioris, huiusmodi mensis exclusiue à præfato die computandus est.

XIV. Declaramus, quòd si contigerit in electione Magistri Ordinis aliquem ex Electoribus, instante electionis tempore infirmum lecto decumbere, licebit Patribus Scrutatoribus e conclaui exire, & ad huiusmodi infirmum pro voto tantum ab ipso secretè accipiendo accedere.

XV. Declaramus, quòd quandocunque Prouincialibus graue aliquod negociū occurrit in Alma Vrbe pro sua Prouincia tractandum, tunc poterunt Patrem aliquem grauem ad id idoneum Romam transmittere: ita tamen, vt simul Magistrum Ordinis tam de negotio tractando, quàm etiam de necessitate talis transmissionis admoneant, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

XVI. Declaramus, quòd quando ex quacunque causa in electionibus quibuscumque, quarrus Scrutator assumendus est, ille per suffragia publica ad fraudes tollendas eligatur, & non aliter.

XVII. Declaramus *Ordinationem vltimam Capituli Generalis Vlyssiponæ 1618.* qua cautum est, ne quis ratione nouæ affiliationis, possit eodem anno duos eligere Priores, nec socios pro Capitulo Prouinciali, exceptis Regentibus, Lectoribus, & studentium Magistris, qui studiorum promouendorum intuitu alijs Conuentibus assignati fuerint, ac etiam Superioribus de nouo institutis; intelligendam esse non de anno ecclesiastico, sed de anno naturali, à die lati voti.

XVIII. Declaramus, quòd præcepta Actorum Capituli Prouincialis, incipiant ab eorū promulgatione, & durent vsque ad promulgationem Actorum sequentis Capituli Prouincialis, in quolibet Conuentu faciendam.

ADMONITIONES.

I.  **DMONE MV.** Patres Prouinciales, vt in litteris patentibus institutionis suorum Visitatorū exprimant collatam eisdem auctoritatem, an scilicet tam supra capita, quàm supra membra Conuentus, prout visitationis necessitas postulabit. Quod si illam particulam in litteris patentibus non exprefferint, tales Visitatores auctoritate supra capita pollere minimè censeantur.

II. Admonemus eosdem Patres Prouinciales, vt in suis visitationibus diligenter scrutentur interiora Fratrum vestimenta, sint ne ex materia, vel cum forma, & colore mori Ordinis congruo: caueantq. summopere ne Religiosi secularem vanitatem in vestibus imitentur. Eos verò qui in huiusmodi deliquerint, huiusmodi vestibus priuatos seuerè puniant.

III. Admonemus, rogamusq. Reuerendis. Magistrum Ordinis, ne personis extra Ordinem nostrum constitutis facultatem concedat erigendi Societatem Sanctissimi Rosarij in Ecclesijs ad nostram Religionem non spectantibus.

IV. Admonemus Reuerendis. Patrem Magistrum Ordinis, ne vnquam in posterum petat dispensationem, à Summo Pontifice prorogandi celebrationem Capituli Generalis vltra tempus à nostris Constitutionibus præfixum. Quòd si aliquando summa rei necessitas prorogationem huiusmodi videbitur postulare, id non faciat, nisi præmonitis Patribus Prouincialibus de huiusmodi prorogationis causis: & tunc tantum de maioris partis Prouincialium authenticò assensu, à Summo Pontifice huiusmodi prorogationis gratia petatur. Cuicūque autem Apostolico priuilegio, seu concessione in contrarium obtenta, in omnibus tenore præsentium renunciamus.

V. Admonemus eundem Reuerendis. Patrem Magistrum Ordinis, ne cura Monasteriorum Monialium nostri Ordinis commissorum renunciet, cum id absque Capituli Generalis facultate, consensuq. facere nequeat. Quod si secus fecerit, renunciaciones huiusmodi irritas omnino fore declaramus.

VI. Admonemus Patres Prouinciales, eisdemq. mandamus, vt à mutationibus, & assignationibus Fratrum extra Capitulum ex quacunque leui causa faciendis, omninò abstineant, & non nisi maxima necessitate urgente, eos à Conuentibus, in quibus à Capitulo assignati sunt, remoueant. Fratribus verò, qui ad aliquem Conuentum

uentum assignari transmittuntur, viaticum congruum a Priore Conuentus, a quo remouentur, omnino tribuatur, sub poena absolutionis ab officio.

COMMISSIONES.

I.  OMMITTIMVS Magistro Ordinis; vt à Sanctissimo Domino Nostro, nomine totius Religionis enixè petat canonizationem Beati Ludouici Bertrandi. Item, vt curet canonizationem, vel saltem beatificationem Pij V. & nomine Prouinciæ Bethicæ beatificationem Fratris Pauli de S. Maria; & nomine Prouinciæ Romanæ approbationem beatificationis B. Iacobi de Meuania.

II. Committimus eidem Reuerendiss. Patri Magistro Ordinis, vt priuilegia Sanctissimi Rosarij renouari, confirmari, & ampliari omnino curet. Item, vt Sanctissimus per speciale Breue nullas declaret omnes electiones Societatum Sanctissimi Rosarij absque nostri Ordinis licentia, & facultate factas; taliumq. institutionem, tamquam subreptitiæ obtentam, nullam declarari curet.

III. Committimus eidem Reuerendissimo, vt instituat, eligatq. Patrem aliquem grauem, prudentem, zeloque gloriæ Sanctorum nostri Ordinis ardentem, qui canonizationes, & beatificationes Fratrum, ac Sororum nostri Ordinis, qui in communi existimatione sanctitatis vixerunt & obierunt, promoueat.

IV. Committimus eidem Reuerendissimo, vt curet debitum honorem S. Thomæ doctrinæ adhibendum; & Patres Inquisitores, vt inuigilare, & in huiusmodi delinquentes animaduertere studeant, enixè rogamus.

V. Committimus Magistro Ordinis, vt in vnaquaque Prouincia curet institui ac designari vnum vel plures Conuentus, in quibus Constitutiones Ordinis ad vnguem obseruentur, iuxta præscriptum earundem *dist. 2. cap. 20. in fine*.

VI. Committimus Magistro Ordinis, vt nomine Diffinitorij agat cum Sanctissimo Domino Nostro, & Augustissimo Imperatore Ferdinando negocium recuperationis nostrorum Conuentuum, & bonorum nostri Ordinis in vniuersa Germania: eidemq. Reuerendissimo consulimus, vt à Germaniæ Prouincijs suæ primæ visitationisumat exordium.

VII. Committimus Reuerendissimo, vt quando pro maiori pace

pace Conuentuum ipse iudicauerit expediens, obtineat à Sanctissimo, vt Inquisitores, & Vicarij eorundem, omnesq. qui in ministerio Sancti Officij occupantur, non habeant vocem actiuam in Conuentibus, in quibus existunt.

VIII. Committimus Reuerendissimo Magistro Ordinis, vt Fratribus Anglis tot iam ab hinc annis persecutionum, & exiliorum tempestate iactatis, Conuentum aliquem in Gallia, vel Germania inferiori designet, in quo benignè recipi, & religiosè viuere valeat.

IX. Committimus eidem Magistro Ordinis, vt Patri alicui erudito iniungat collectionem omnium Actorum Capitulorum Generalium, & priuilegiorum ac prouisionum, tam ad commune bonum totius Ordinis, quàm singularum Prouinciarum spectantium: quæ omnia in vnum volumè ordinatè collecta quamprimum prælo mandet.

X. Committimus eidem Magistro Ordinis, vt adhibito eruditorum Patrum consilio, libros ad Diuinum Officium pertinentes, ab erroribus, si qui in eis irrepsierunt, purget; quæ expungenda iudicabuntur, expungat; & addat ea quæ ex mandato, & beneplacito Sanctæ Sedis sunt addenda.

XI. Committimus adm. Reuer. Patri Prouinciali Theutoniæ, & Inquisitori Coloniensi, vt opera Beati Alberti Magni typis excudi procurat.

XII. Item Patri Magistro Fratri Abraham Bzouio, vt historias Ordinis nostri conscribat.

XIII. Item Patri Magistro Fratri Ioanni Mur, vt tractet cum Illustriss. ac Reuerendiss. Archiepiscopo Valentino editionem omnium operum Patris Magistri Fratris Thomæ Maluendæ.

XIV. Item Patri Magistro Fratri Timotheo Riccio, vt imprimenda curet Statuta & Ordinationes ad regimen Societatum, & Congregationum Sanctissimi Rosarij spectantes.

CONCESSIONES.

I.  ONCEDIMVS omnibus Patribus Prouincialibus, necnon etiam Diffinitoribus præsentis Capituli, vt quilibet eorum possit vnum tantum ex sua Prouincia, vel Congregatione, ad pœnas grauioris culpæ ante præsens Capitulum damnatum, ad omnes gratias Ordinis restituere; dummodò se tali gratia dignum præstiterit.

II. Concedit Reuerendissimus Magister Ordinis omnibus, & singu-

roluiensi, Mutinensi, Papiensi, Parmensi, Pisauriensi, Placentino, Rauennatenensi, Regiensi, Soncinenensi, Veneto, Veronensi, Vicentino, Vigleuanensi, Lectores Theologiæ duo, & Philosophiæ vnus. In Conuentibus Cremonensi, Laudensi, Sauonenensi, Dertonensi, sacre Theologiæ & Philosophiæ Lector vnus.

In omnibus verò prædictis Conuentibus, in quibus consueuerunt haberi in Ecclesijs lectiones sacre Scripturæ, vel Pater Prouincialis iudicauerit huiusmodi lectiones in posterum habendas esse; poterit etiam ad id munus vnus ex prædictis Lectoribus, vel alius arbitrio Patris Prouincialis destinari.

In ceteris verò Conuentibus Prouinciæ non assignetur nisi vnus pro Fratribus, iuxta præscriptum nostrarum Constitutionum: qui etiam tenebitur habere lectiones sacre Scripturæ in Ecclesia, nisi fortè in ijs tantum Conuentibus, in quibus degunt Nouitij, Pater Prouincialis iudicauerit alium Lectorem sacre Scripturæ, à Lectore Nouitiorum distinctum, fore destinandum.

VI. Ordinamus, vt si in dictis Conuentibus plures Lectores actuales assignati reperiuntur, quàm in præscripta partitione contineantur, in eisdem Pater Prouincialis nullum in Lectore assignet præter Lectorem actuale, donec expleto termino ad præscriptum iam numerum redigantur: neque assignentur amplius Lectores actuales in Conuentibus, nisi actu ibi legant. Qui verò quacumque auctoritate pro primo loco vacante in eis assignati fuerint, à Chori sequela, & hebdomadaria, ceterisque Religionis consuetis oneribus nullo pacto exempti sint, nulloque Lectorum actualium priuilegio gaudeant, quousque actu locum vacantem occupauerint.

VII. Ordinamus, vt nullus posthac examinetur in Studentem formalem, nisi prius totum Philosophiæ cursum audierit: neque alicui Studenti, siue Lectori, aut Prædicatori, dum actu examinatur, concedatur amplius Socius, qui dicitur auricularis: nec puncta examinandis assignentur, nisi certo horarum, vel dierum numero consueto, ad eorum discussionem ipsis præfixo.

VIII. Approbamus affiliationes P. Magistri F. Vincentij Mariæ de Corinaldo pro Conuentu Vrbini, à Conuentu Senogallienensi: P. F. Benedicti de Braida pro Conuentu S. Mariæ Gratiarum Patauij, à Conuentu S. Io. Baptistæ de Salutis: P. F. Petri Martyris de Cremona pro Conuentu S. Dominici de Cremona, à Cōuentu S. Iacobi de Soncino: P. M. F. Francisci Coccini, à Prouincia Romana, & Conuentu Gradeni, ad Conuentum S. Mariæ Gratiarum Patauij:

F. Angeli Sperandio ad eundem Conuentum Gratiarum à Prouincia Græciæ.

IX. Approbamus Magisterium R. P. F. Petri Martyris de Aqua nigra, saluis tamen iuribus Prouinciæ.

X. Acceptamus Magisteria RR. PP. F. Raymundi Monteculi eiusdem Prouinciæ Prouincialis, F. Stephani de Auria Prouincialis S. Catharinæ Senensis, F. Michaelis de Tabia, F. Io. Baptistæ Rosellæ, F. Camilli de Sorefina, F. Thomæ de Tabia, F. Pauli Ægidij de Como, F. Hippolyti Camilli de Mutina, F. Ioannis Vincentij de Valentia, F. Thomæ Turchij, quem etiam damus in Regentem nostri Studij Bononiensis, cum voce, loco, ceterisque priuilegijs, quibus ceteri Magistri Prouinciæ gaudere consueuerunt.

XI. Promouemus ad Magisterium Theologiæ RR. PP. F. Franciscum Coccinum, F. Hyacinthum Crudelum, F. Io. Baptistam Talianum, F. Antonium de Castro nouo, F. Hieronymum Camillum Figinum, expleto tamen triennio Regentiæ Pragensis, F. Petrum Hyacinthum de Bononia, & F. Io. Thomam Gastaldum de Alafio. Instituimus Lectorem Theologiæ F. Angelum Sperandio.

In Prouincia Romana.

I. **O**rdinamus, vt Conuentus S. Dominici de Aretio restituatur in statum, & titulum Prioratus pristinum; ipsiq. pro hac prima vice a Magistro Ordinis de Priore immediatè prouideatur.

II. Ordinamus, vt Nouitij simplices non educètur in Conuentibus, in quibus regulariter nō sunt ad minus vigintiquatuor Fratres.

III. Ordinamus & statuimus, vt omnis Lector Artium suū curriculum triennio absoluat, nec ultra illud prorogare possit. Quo elapso, absque vlla declaratione à lectione, & lectoratu, priuilegijsq. omnibus actualis Lectoris, exclusus & priuatus omnino sit & habeatur.

IV. Ordinamus, vt nullus Frater Romanæ Prouinciæ possit in Collegium Romanum S. Thomæ admitti, nisi prius in Studio Querquensi biennio permanserit; nec vllus in dictum Collegium admittitur à Prouinciali Lector institui, aut ad Lectoratus gradum examinari possit, nisi integro biennio in præfato Collegio extiterit.

V. Designamus Conuentum Sancti Marci de Florentia præstrictiori obseruantia.

VI. Concedimus Monialibus S. Catharinæ de Senis Almæ Urbis, vt octauam solemnem de ea celebrare possint.

VII. Approbamus à die acceptationis Magisteria cum loco, & voce,

voce RR. PP. F. Francisci Mariæ Campanæ, F. Vincentij Bartoli Prouincialis Trinacriæ, & F. Zenobij Medices.

VIII. Acceptamus Magisteria cum loco & voce, RR. PP. F. Zenobij Acciaoli, F. Ambrosij Brandi, F. Bernardini Quintilij, F. Nicolai Magdaleni Capiferrei, & F. Thomæ Sergrisij.

IX. Acceptamus Prædicaturas generales cū voce, RR. PP. F. Reginaldi Cecchini pro Conuentu Pratenſi, F. Clementis Amati pro Conuentu Pistorienſi, F. Hyacinthi Cambij pro Conuentu S. Agnetis Montispolitiani, & F. Seraphini Pardini pro Conuentu S. Geminiani.

X. Declaramus Prædicatorem generalem cum voce, ceterisq. priuilegijs, P. F. Vincentium Macarinum iampridem institutum; & F. Hieronymum Soderinum, & F. Cherubinum Vituccium fuisse legitimè institutos Prædicatores generales in Conuentu S. Miniati anno 1626. cum voce, omnibusq. gratijs Prouinciæ.

XI. Promouemus ad gradum Magisterij in Theologia, saluis suæ Prouinciæ iuribus, RR. PP. F. Petrum Paulum Tortellium, F. Antoninum Nactium, F. Dominicum Cimichettum, F. Paulum Montelucium, F. Thomam Veculum, F. Angelum Boncompagnum, F. Andream Blondium, F. Ambrosium Violam, F. Ignatium Ciantes, F. Antoninum Cellium, F. Hyacinthum Lupum, socium Reuerendissimi Patris Magistri sacri Palatii Apostolici, & F. Hyacinthum Pandulfum.

XII. Instituimus Prædicatores generales, saluis iuribus Prouinciæ, RR. PP. F. Michaellem Zazzaram pro Conuentu S. Mariæ super Quercum, & F. Petrum Martyrem Froschiantem, cum voce, ceterisq. priuilegijs, pro Conuentu S. Saluatoris de Spoleto.

XIII. Damus in Regentes Collegij Romani S. Thomæ Aquinatis super Mineruam, admodum RR. PP. Magistros F. Eugenium Iordanum, & F. Franciscum Fajardum.

Pro Prouincia Regni.

I. **V**T quantum fieri potest, religiosam, mutuamq. animorum vnionem inter huius Prouinciæ Fratres statuamus, in- iungimus Reuerendiss. P. Magistro Ordinis, vt huic Prouinciæ sum- moperè inuigilet, & Alternatiuam in electionibus Prouincialium ac Diffinitorum, tam prouincialium, quàm generalium, electorumq. ac Priorum, ab eadem Prouincia in præſenti Capitulo instantè pe- titam, concedat: sub ea tamen forma & ordine, qui suæ prudentiæ ad præfixum finem melior magisq. expediens iudicabitur, disponat

firmiterq. stabiliat. Item, vt Fratribus Congregationis S. Mariæ Sanitatis, huic Prouinciæ annexis, in participatione electionum, quæ in Capitulo prouinciali huius Prouinciæ fieri solent, modum aliquem æquiores imponat.

II. Ordinamus, omnibusq. Fratribus huius Prouinciæ, cuiuscumque status, gradus, & conditionis fuerint, omnino prohibemus ne *Factiones*, seu *Partitas* amplius enutrient, vel schismata inter se foueant, ipsiq. quomodolibet siue per se, siue per alios, etiam extra obedientiam Ordinis constitutos, patrocinari audeant.

Item omnino prohibemus, ne quis palam, vel occultè, opere vel sermone, *huius vel illius Partitæ se esse* profiteatur & iacet. Qui contrafecerint, vtraque voce ipso facto priuati sint; & ab Vrbe Neapolitana, ad diffitos aliarum Prouinciarum Conuentus à Magistro Ordinis, perpetuò relegentur. Quòd si Conuersi fuerint, præter has pœnas respectiuè, scapulari priuentur.

III. Ordinamus Patri Prouinciali pro tempore, vt aduersus Fratres calumniatores, & impostores omnino procedat, & iuxta Constitutionum nostrarum præscriptum *dist. 1. de grauiori culpa. cap. 18. num. 5.* in eos animaduertat. Qui alios Fratres, & præcipue Superiores suos, verbo, vel scripto, tam inter Fratres, quàm apud Superiores, & personas extra Ordinis obedientiam constitutas, siue voce, siue litteris, siue falsis memorialibus, calumnia impetierint. vel diffamauerint; pœnis grauioris culpæ, ac talionis, de plano, & sine strepitu & figura Iudicij, sola facti veritate inspecta, puniantur; publicoq. decreto in omnibus Refectorijs Conuentuum Prouinciæ, perpetuò Infames, nullaq. fide in omnibus ac per omnia digni declarentur, iuxta præscriptum Capitulorum Generalium citatorum in glossa nostrarum Constitutionum vbi supra. *S. si quis etiam littera Q.* & singulariter Capituli Romani 1601. vbi de mandato Clementis VIII. id statuitur, & Vallisoleti 1605. confirmatur.

IV. Ordinamus Patri Prouinciali & Prioribus Conuentualibus pro tempore, vt contra Fratres proprietarios; procedant, eosque pecunijs, alijsq. bonis omnino spolient; Romamq. per Patrem Collectorem ad huiusmodi munus destinandum, in generali Religionis Deposito reponenda, fideliter transmittant. Qui verò in vitio proprietatis mortui esse reperti fuerint, ecclesiastica sepultura priuentur; & si Prouincialis, aut Prior, hæc implere neglexerint, à suis officijs absoluantur.

V. Ordinamus, & omninò prohibemus omnibus ac singulis,
tam

tam Superioribus, quàm subditis, ne ullus absque licentia Patrum à consilijs audeat pecuniam, siue quæcumque alia bona, à quibusvis personis, siue intra siue extra Ordinem constitutis, titulo elemosynæ, vel alio titulo, pro aliqua fabrica, instauratione, vel alio opere pio, tam in Ecclesia, vel intra, vel extra faciendo, petere, vel exigere. Qui verò cum præfata licentia id fecerit, de pecunijs omnibus, bonisq. exactis, fidelem rationem præfatis Patribus reddere teneatur, earundem pecuniarum ac bonorum in libro cõmunis Depositi, quantitate, qualitate, nominibusq. personarũ largientiu descriptis. Qui verò in hoc deliquerint, vtraque voce priuentur.

VI. Ordinamus, & sub pœna absolutionis ab officijs, Prioribus, & Præsidentibus locorum omnino prohibemus, ne bona Fratrum defunctorum, in propriam, seu solâ amicorum vtilitatem conuertant, distrahant, aut vendant: sed immediatè ante obitũ vel post obitum Fratris, Prior vna cum Suppore, & duobus Patribus senioribus à consilio, dictorum bonorum inuentarium facere teneatur, ab ipsdẽ præsentibus subscriptum. Quæ deinde bona vsui Conuentus, & Fratrum verè indigentium necessitatibus applicentur, iustitia distributiva in omnibus seruata de dictorum Patrum voto.

VII. Ordinamus, & sub pœna absolutionis ab officio omnibus Prioribus, & Conuentuum Præsidentibus mandamus, vt Nouitijs, tam Clericis, quàm Conuersis, duobus mensibus ante tempus emittendæ professionis, consuetas protestationes coram duobus Patribus à consilijs faciant; eosq. clarè moneant se tacitam professionem non incurfuros, donec à Patribus à consilijs, & Vocalibus Conuentus pro quo habitum susceperunt, fuerint acceptati seruatis seruandis. Si secus factum fuerit, ex nunc decernimus ac declaramus, huiusmodi Nouitios tacitam professionem non incurfuros, & expressam eorundem nullam fore.

VIII. Item statuimus ac declaramus, nullum Nouitium, siue clericum, siue conuersum, ad professionem acceptari posse, nisi à Patribus ac Fratribus illius Conuentus, pro quo habitum suscepit. Si secus fiat, acceptatio huiusmodi nulla prorsus sit; & acceptantes, voce actiua per tres menses sint priuati.

IX. Ordinamus, & omnino prohibemus, ne numerus Fratrum quæstuariorum sit maior binario. Conuersi verò, vel Tertiarij ad id munus destinati, sint probatæ vitæ, & religiosi exempli. Qui verò in aliquo deliquerint, dicto officio priuentur, & seuerè iuxta gravitatem delicti à Patribus, & Præsidentibus puniantur.

X. Ordinamus, vt Fratres hospites, cuiuscumque Prouinciæ

fuerint, benignè & charitatiuè à Superioribus recipiantur & tractentur, iuxta designationes, & partitiones Conuentuum à Magistro Ordinis faciendas, sub pœna absolutionis ab eorum officijs.

XI. Ordinamus, & ad petitionem Patrum Conuentus S. Dominici de Neapoli, concedimus, vt numerus Studentium formalium dicti Studij, non excedat numerum vigintiquinque: ita scilicet, vt duodecim sint ex alienis Prouincijs, inter quas Alternatiua secundum iustitiam distributiuam seruetur; & duodecim ex Prouincia Regni: quibus ex antiquo priuilegio & consuetudine, vnum ad libitum quilibet Prouincialis pro tempore superaddere possit; ita tamen vt nunquam sint plures tredecim. Item prohibemus omnino, ne vllus pro aliena Prouincia, etiam desolata, in Studentem formalem recipi possit, qui verè non sit talis Prouinciæ filius: & si secus fiat, eius receptio nulla omnino fit & censeatur, & Regens pro tempore à suo officio suspensionem incurrat. Quòd si, ex externis Prouincijs præcipuè dissitis, Fratres ad Studium venientes locum occupatum inuenerint, designetur, illis à Patre Prouinciali aliquis Conuentus Studij, vbi commorentur quousque locus vacauerit.

XII. Ordinamus, vt singulis annis fiat examen Studentium, tam formalium, quam materialium, de litteris, & moribus eorumdem, à solis Patribus Moderatoribus Studij priuatim; & proficientes per vota secreta approbentur; deficientes verò reproben- tur: qui ipso facto statim à Studio, & Conuentu S. Dominici exclusi ac remoti sint, & intelligantur: sicuti etiam quicumque examini se subijcere recusauerint, eodem prorsus modo exclusos & remotos esse volumus ac declaramus.

XIII. Mandamus, & inuiolabiliter obseruari volumus, vt Studentes quotidie sacrum persoluant, ad satisfaciendum oneribus Ecclesiæ. Quòd si aliqui quater saltem in hebdomada non celebrasse, tribus vicibus reperti fuerint, à Studio exclusi, & à Conuentu S. Dominici omnino remoti sint; sicut ex nunc prout ex tunc ipso facto eos exclusos & remotos esse, absque vlla alia declaratione de nouo facienda, decernimus ac declaramus.

XIV. Ordinamus, & auctoritate Apostolica designamus, & erigimus in Domum Nouitiorum totius huius Prouinciæ, Conuentum Montis Dei de Neapoli: in quo Nouitij tantum pro quocumque Conuentu priuatim recepti, statim immediatè ad educandum collocentur, & in eadem vsque ad sacerdotium sub obedientia, ac disciplina Magistri Nouitiorum permanere teneantur.

XV. Omnino verò prohibemus, ne aliquis Frater, tam Fro-
uinciarum,

uincix, quàm extra, in præfato Conuentu Montis Dei assignari, deputari, vel collocari possit, præter Magistrum Nouitiorum, eiusq. Coadiutorem, Artium Lectorem, Syndicum, & tres Conuersos Nouitios. Præfati verò, Magister, Coadiutor, Lector, & Syndicus, omnes sint probatæ vitæ, & ex strictiori obseruantia; & à Magistro Ordinis (cuius curæ immediatè dictum Conuentum exclusiue quo ad alios Superiores, in omnibus & per omnia subijcimus) eligantur, ibique assignentur.

XVI. Ipse verò Magister Nouitiorum, titulo Prioris, eiusq. Coadiutor, Supprioris titulo gaudeat. Quoad victum, & vestitum dictorum Nouitiorum, donec in huiusmodi domo permanferint, prouideatur à Conuentibus, pro quibus ad habitum fuerunt recepti.

XVII. Completo dicto temporis spacio, Pater Prouincialis (autoritate sibi à Magistro Ordinis, toties quoties opus fuerit petenda & conferenda) poterit dictos Nouitios in Conuentibus, quorū erunt filij (si facultate habendi Nouitios gaudent) collocare: dummodo in domo Professorum clausi, sub cura sui Magistri viuant vsque ad sacerdotium inclusiue, & non aliter. Illi verò Nouitij, quorū Conuentus originales præfata facultate carent, in Conuentibus dictam facultatem, & Professorium habentibus, reponantur.

XVIII. Ordinamus, vt iuxta præscriptum nostrarum Constitutionum *dist. de recipiendis cap. 13. lit. A. in glossa*, Patres à consilijs in Conuentibus S. Dominici, & S. Petri Martyris de Neapoli, non sint nisi graduati; videlicet Magistri, Patres Prouinciæ, Priores præteriti eiusdem Conuentus, Baccalaurei, Prædicatores generales, ac Lectores, vsque ad numerum duodenarium; ita vt semper isti ceteris alijs præferantur.

XIX. Erigimus in Prioratum, Conuentum nostrum Iesualdi: quem concedimus Patribus strictioris obseruantix eiusdem Prouinciæ, S. Marci de Gauotis, & S. Mariæ Quercus Maioris de Cerza: quorum regimini, & gubernio, priuatiue quo ad alios, dictum Conuentum perpetuis tēporibus, volumus esse subiectum; eidemq. pro hac prima vice à Magistro Ordinis Priorem a se institutum concedi, iuxta præscriptum *glossæ dist. 2. cap. 1. in fine*.

XX. Acceptamus Conuentum construendum ab Excellentissimo Domino Principe Forini, dummodo possit alere duodecim Fratres.

XXI. Promouemus ad gradum Magisterij Theologiæ RR. PP. F. Thomam Aquaiuiam, socium Reuerendiss. P. Magistri sacri Palatii Apost. F. Paulum Caracciolum, F. Michaellem Torres, F. Athanasium de Magdalono, F. Theodorum de Balneolo, F. Albertum de Ca-

de Capua, F. Seraphinum Spada, F. Clementem a Tripalda, F. Franciscum Mariam Venatum, & F. Hippolitum Mariam a Ponte.

XXII. Instituiamus Baccalaureos RR. PP. F. Hyacinthum de Sancta Gata, F. Aloysium de Arpino, F. Franciscum Porcellum, F. Vincentium de Toro, F. Gregorium Cepullo, F. Ioannem Baptistam de Fragola, F. Thomam de Vio, F. Thomam Granuale, & F. Franciscum Biscionem.

XXIII. Instituiamus Prædicatores generales RR. PP. F. Sebastianum Spinam pro Conuentu Caietano, F. Ioannem Crispum pro Conuentu Capuano, F. Dominicum de Martino pro Conuentu Sanctissimi Rosarii Ciuitatis Neapolitanæ.

Pro Congregatione autem Sanitatis promouemus ad Magisterium sacræ Theologiæ RR. PP. F. Io. Baptistam Falesium, F. Seraphinum de Neapoli, & F. Petrum Elisium; cuius Lecturam in officio Baccalaurei ordinarij habitam approbamus.

Instituiamus Baccalaureos RR. PP. F. Erasmus de S. Iuliano; F. Dominicum de Castellaneta; F. Io. Martium de Argentio, F. Petrum Franchesium, F. Reginaldum de Speculis, F. Franciscum Marefca, F. Callixtum de Missanello, F. Io. Dominicum de Ianuario, F. Aloysium de Neapoli, & F. Vincentium Fasolum.

Instituiamus Prædicatores generales F. Iosephum Caggianum pro Conuentu S. Mariæ Sanitatis, & F. Dominicum Polignanum pro Conuentu Vomeri.

Pro Prouincia Theutoniæ.

I. **O**rdinamus, vt Fratreshuius Prouinciæ ad alienas Prouincias absque licentia fugientes, pœnis a nostris legibus statutis omnino puniantur, & a Prouincialibus illarum Prouinciarum, ad quas fugiunt, ad hanc Prouinciã statim remittantur.

II. Omnino prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, omnibus huius Prouinciæ Fratribus, ne quis eius diuisionem tentare audeat. Quod si aliquando Superiorum auctoritate & voluntate diuidenda iudicaretur, a separatione Vicariatũ annexorum Austriæ, & Saxoniz, huiusmodi diuisionis initium desumatur.

III. Declaramus Capitulum prouinciale anno præcedenti celebratum, legitimum fuisse, licet in eo non fuerit celebrata electio Prouincialis.

IV. Declaramus, Patrem Prouincialem huius Prouinciæ pro tempore existentem, in casu magnæ distantiz à maioribus Conuenti-

uentibus Prouinciæ, non teneri in confirmandis Prioribus, octo Patres ad consilium vocare, sed quatuor saltem sufficere.

V. Concedimus Conuentui S. Io. Baptistæ de Treueris, vt festum S. Theodolphi possit transferri in diem vltimum Aprilis: dummodo festum S. Antonini non impeditum die ij. Maij celebretur.

VI. Designamus pro strictiori obseruantia, iuxta præscriptum nostrarum Constitutionum *in glossa dist. 2. cap. 2. in fine*, Conuentum Augustanum, instantibus eiusdem Conuentus Patribus.

VII. Denunciamus huic Prouinciæ, auctoritate Apostolica, concessum fuisse, vt Priores, & Priorissæ, completo tempore suorum officiorum, possint immediatè reelegi toties quoties Patri Prouinciali videbitur expedire, dummodo seruentur conditiones concessionis. Item, vt Priores non habentes duodenarium numerum Fratrum, possint habere votum in electione Prouincialis, ceterisq. actibus prouincialis Capituli, iuxta tenorem concessionis, ad quam nos referimus. Item, vt Fratres habentes octo annos à professione completos, voce passiva in canonicis electionibus gaudeant.

VIII. Acceptamus Monasterium Monialium in Steinach Curien. Diocesis sub cura Ordinis; accedente tamen consensu Reuerendissimi Ordinarij.

IX. Promouemus ad gradus Magisterij RR. PP. F. Ioannem Endebroich, F. Andream Alenuorst, Definitorem huius Capituli, & F. Vvipertum Rosembach.

X. Instituiamus Præsentatos RR. PP. F. Petrum Visombroth, & F. Petrum Rompium: hac tamen lege, vt suas prosequantur lectiones; seruatisq. seruandis, post annum, ante Festum Pentecostes, titulo, & loco gaudere incipiant. Item RR. PP. F. Ioannem Philippum Fridth, & F. Nicolaum Naustatth; hac tamen conditione, vt eo ipso quo Licentiaturam in Vniuersitate Colonienfi adepti fuerint, priuilegijs tantum gaudere incipiant.

XI. Instituiamus Prædicatores generales RR. PP. F. Conradum Lefr, F. Dauidem Vvinkler, F. Augustinum Kreps, F. Ioannem Dungeherum, F. Nicolaum Lieuinger, F. Raymundum Veidembusch, F. Vvillelmum Erburg, F. Nicolaum Frolich, F. Iacobum Gabelium, F. Vldaricum Pugliæ, F. Vldaricum Stompium, F. Eustachium Mager, F. Vrbanum Vvirsch, F. Ludouicum Vvzroll, pro Conuentibus sibi designandis in Capitulo Prouinciali.

Pro Prouincia Poloniæ.

I. **O**rdinamus, vt *Studentes*, vel *Lectores ex Studijs* *externarum Prouinciarum*, etiam si in eisdem examinati, & approbati ad *Lectoratum* fuerint, denuò in *Studio generali Cracouiensi* examinentur.

II. Prohibemus, ne in *Monasterijs S. Mariæ ad Niues Cracouiens.* plures quàm triginta *Moniales* recipiantur, donec prædictum *Monasterium* ad formam *Ordinis consuetam* deductum, & constructum fuerit.

III. Concedimus huic *Prouinciæ*, vt prouiso *Magistrorum* *Studij in generali Studio Cracouiensi*, iuxta antiquam consuetudinem *Prouinciæ*, per *Patrem Prouincialem* de consilio *Patrum Prouinciæ* fiat. Item concedimus, vt *Lectores primi in Conuentibus Posnaniensi, & Lublinensi*, biennio actu *Theologiam* legentes, pro *Magistris Studentium* acceptentur.

Concedimus, vt *Sorores Tertiariæ Locauicensis, & Petricouiensis* *Monasteriorum*, ad habitum *Sororum* de obseruantia, & clausura, seruatis seruandis, transferantur.

IV. Acceptamus locum in *Oppido Brzescæ Diocesis Luceoricensis*; eumq. in *Prioratum* erigimus, seruatis seruandis.

V. Approbamus *Magisteria RR. PP. F. Valeriani Grocolski Prouincialis, F. Samuelis Vvierskouij Regentis Cracouiens. & F. Dominici Seniauski.*

VI. Promouemus ad gradum *Magisterij RR. PP. F. Hyacinthum Kielecouski, F. Albertum Laudantium, F. Venceslaum Zabreuski.* Ad *Baccalaureatum* verò *P. F. Petrum Paczfar, F. Alexandrum Petriconiensem, F. Raymundum Gouorconium, F. Gregorium Ottunouium, F. Hyacinthum Koriski, F. Paulum Mercensem, F. Vincentium Ploch.*

VII. Damus in *Regentem Studij Cracouiensis*, expleto officio præsentis *Regentis, R. P. F. Dominicum Seniauski Magistrum.* Pro *Baccalaureo* verò eiusdem *Studij* pro primo biennio, *R. P. F. Raymundum Mielcelski, & pro altero biennio R. P. F. Albertum Honoratum Baccalaureum.* In *Magistrum* verò *Studentium* pro hac vice tantum, *F. Io. Baptistam Zamouski sacræ Theol. Baccalaureum.*

VIII. Institutimus in *Prædicatores generales RR. PP. F. Reginaldum Iaranouski, & F. Iosephum Kinouium, pro Conuentibus sibi designandis in Capitulo prouinciali,*

Contro-

Controuerſiæ de limitibus inter Prouinciã Poloniæ, & Ruſſiæ finem imponere volentes, auctoritate Apoſtolica ſtatuiamus, & declaramus, illos debere eſſe medietatem diſtantiæ inter extremos Conuentus reſpectiuè vtriuſque Prouinciæ: non obſtantibus quibuſcumque alijs in contrarium ordinationibus, quibus eadem Apoſtolica auctoritate derogamus.

Pro Prouincia Græciæ.

I. **O**rdinamus, vt decreta facta à Patre Prouinciali præſente in ſua viſitatione, à Magiſtro Ordinis examinata, inuiolabiliter obſeruentur, ſub pœnis in eiſdem contentis.

II. Concedimus, vt Prouincialis pro tempore ſit Vicarius Prouinciæ, & electionis, vſque ad confirmationē & acceptationem Prouincialis electi, eiſque præſentiam in Prouincia. Item quòd ſocius Prouincialis pro tempore, dum fungitur officio ſocij, gaudeat titulo tantum, & loco Prioris S. Mariæ de Modamo, non tamen voce.

III. Damus facultatem Patri Prouinciali, vt in Conuentu SS. Nicolai, & Eliæ Inſulæ Zacynthinæ poſſit inſtituere Priorem eiſdem cum omnibus priuilegijs, & gratijs: ſicut etiã in notato loco S. Pauli de Candia, quem acceptamus, non obſtante quòd non poſſit alere duodecim Fratres, præhabito tamen aſſenſu Apoſtolico. Interim verò ipſum titulo Vicariatus gaudere volumus, quouſque ædificium abſolutum, & redditus eiſdem, prout opus eſt, ſtabiliantur. Mādan-tes Patri Prouinciali pro tēpore, vt Fratres, qui in dicto loco degūt, ab ipſo ibi aſſignentur; & ideò in alio Conuentu vocē non habeant.

IV. Inſtituimus Magiſtrum R. P. F. Benedictum Bartolinum Baccalaureum.

Pro Prouincia Aragoniæ.

I. **O**rdinamus, in noſtro Dertuſenſi Collegio obſeruandam in poſterum Alternatiuam, in electionibus Reſtoris, Regentis, & Lectorum Theologiæ, & Philoſophiæ: ita vt ex tribus Theologiæ Lectoribus, vnus ſit ex Regno Cataloniæ, alter ex Regno Aragoniæ, & alius ex Regno Valentiniæ. Reſtor verò, Regens, & Lector Artium, alternatiuè ſint ex tribus nominatis Regnis.

II. Ordinamus, vt nullus poſſit inſtitui Lector Artium, nec ad officium prædicationis exponi, quin prius Theologiam per quatuor annos audierit: præcipimusq. PP. Moderatoribus, ſub formali præ-

præcepto, vt nullū ad prædictorum munerum examen admittant, quin huiusmodi conditionem adimpleuisse authenticè constiterit.

III. Ordinamus in Conuentu Insulæ de Iuisa, vt Priores absentes electi & confirmati, non intelligantur incipere sui officij tempus, nisi à die, quo litteræ patentes confirmationis in dicto Conuentu, ipso præsentē lectæ fuerint. Propterea mandamus omnibus prædictis Prioribus, vt infra spatiū octo dierū à sua confirmatione, versus præfatum Conuentum iter recto tramite arripere teneantur.

Item ordinamus, vt Visitator ad dictum Conuentum missus non possit eiusdem Vicarius institui, teneaturq. per spatium saltē vnius mensis suum munus absoluerē: & Fratres, quos reos inuenerit, ibidem punire, neque ad Regnū Valentix puniendos (nisi ex vrgentissima causa, & processu contra eos prius cōpleto) mittere. Expensas verò Visitationis, arbitrio A.R.P. Prouincialis volumus esse taxandas.

IV. Item præcipimus Priori, ac Depositario dicti Conuentus, sub pœna priuationis vtriusque vocis, vt contributionem à Ciuitate de Iuisa, Conuentui pro fabrica collatam, in alios vsus conuertere non audeant, sed fabricæ eiusdem totam applicent.

Item ordinamus, vt filij dicti Conuentus in Collegium Dertosense admittantur, ac Lectura iuxta eorum merita decorentur.

Tandem concedimus auctoritate Apostolica, vt in dicto Conuentu possit esse domus educationis Nouitiorum, cum quaternario saltem Nouitiorum numero.

V. Ordinamus in Conuentu nostro Valentix, & iuxta Constitutionem Pauli V. lectionem linguæ Hebraicæ instituimus: pro cuius lectura P.F. Ludouicum Marcum designamus cum omnibus gratijs, & priuilegijs Lectorū actu legentium: præcipimusq. A. R. P. Prouinciali, vt ex singulis huius Prouinciæ Regnis, duos Fratres ad dictam lectionem audiendam in præfato Conuentu assignet: cui etiam lectioni volumus omnino interesse omnes eiusdem Conuentus Studentes, triennio peracto vsque ad quadriennium completum: hac tamen conditione, vt quarto anno primariam tantum Theologiæ lectionem audire teneantur.

Item pro dicto Conuentu ordinamus, vt expensæ pro victu P. Prouincialis, & sociorum, extra tempus visitationis faciendæ, æquis portionibus diuidantur inter istum Conuentum, & Conuentum del Pilar: quod etiam fiat Cæsaraugustæ inter Conuentum Prædicatorum, & Conuentum S. Ildefonsi.

VI. Item ordinamus, quod in dicto Conuentu S. Ildefonsi omnino commoventur viginti Fratres assignati: ex quibus sex sint Nouitij

Nouitij in domo Nouitiorum : & in eo Conuentu vrgeat regularis obseruantia, & Constitutiones ad vngue obseruentur iuxta mentem Fundatoris, & *Ordinationem xvi. Capituli Vallisoleiani 1605.* Præcipimusq. R. P. Prouinciali pro tempore, sub poena absolutionis ab officio, vt hæc executioni mandari curet, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

VII. Concedimus Conuentui nostro Barchinonensi, vt celebrare possit festum translationis S. Raymundi sub toto duplici.

VIII. Item Conuentui nostro Illerdenensi, vt celebrare possit festum S. Nicasij Episcopi & Martyris, eiusdem Patroni, sub toto duplici, die xiv. Decembris.

IX. Item Conuentui nostro Prædicatorū Valentino, vt quolibet die Lunæ, in quo nullum sit festum, celebret officium S. Vincentij.

X. Concedimus Conuentui nostro del Pilar Valentino, vt celebret festū S. Mariæ del Pilar sub toto duplici, die proprio: & Conuentui nostro de Manressa, vt celebret festum S. Apolloniæ sub toto duplici: & Conuentui nostro Osenfi, vt celebret festum S. Sabinæ sub duplici die proprio: & Monasterio Monialium S. Agnetis Cæsaraugustano, vt celebret officium sub toto duplici de S. Geltrude: & Monasterio Monialium S. Catharinæ Senensis Valentino, vt celebret festum eiusdē Sanctæ cum octaua solēni, & festum S. Quiteriæ sub duplici: & Monasterio Monialiū S. Magdalenæ Valentino, vt Dominica infra octauā Natiuitatis B. Mariæ celebret officiū S. Mariæ de Charitate, sub nomine *Solemnitatis*, & ritu toto duplici.

Item concedimus huic Prouinciæ, vt celebret festum S. Georgij martyris sub toto duplici, & S. Petri ad Vincula sub duplici.

XI. Confirmamus erectionem domus S. Mariæ Annunciationis de Charlet in Prioratum, factam in præcedenti Capitulo Generali: instituimusq. Priorem, & Prædicatorem generalem eiusdem Conuentus P. F. Petrum Torres.

Confirmamus erectionem domus Sanctæ Mariæ de Orcajo in Prioratum in dicto Capitulo factam: & instituimus Priorem, & Prædicatorem generalem eiusdem Conuentus P. F. Vincentium Ortin.

Item erigimus domum S. Mariæ del Pilar Valentini in Prioratum: instituimusq. in Priorem, & Prædicatorem generalem dicti Conuentus P. F. Iacobum Ballester. Præcipimusq. in isto Conuentu, pro strictiori obseruantia à nobis designato, Constitutiones nostras ad vngue obseruari, iuxta præscriptum earūdem *in gloss. dist. 2. c. 2. in fine.*

Erigimus præterea domum S. Raymundi de Teruel in Prioratum: instituimusq. eius Priorem P. F. Raphaelem Saider, & Prædicatorem

torem generalem eiusdem P. F. Matthæum Valerum, seruatis seruandis; & dummodo omnes isti Conuentus possint alere duodecim Fratres, & non aliter.

Erigimus in Studium generale huius Præuincie Conuentum Gerundensem de Aierue, & Ciuitatis de Xatiua, cum omnibus gratijs, & priuilegijs ceterorum Studiorum generalium nostri Ordinis.

XIII. Concedimus Conuentibus nostris S. Honaphrij, & de Tremp, & Oſcen, vt Lectores eorundem pro gradu & forma Magisterij in eisdem legere valeant.

XIII. Damus Conuentui Barchinonensi in Regentem R. P. Magistrum F. Vincentium Ferreres; & in Magistrum Studentium pro biennio immediate sequenti, P. F. Iosephum Arnet.

Item approbamus in eodem Conuentu institutionem Lectoris Theologie pro secularibus, cum conditionibus & priuilegijs in litteris patentibus foundationis expressis, & P. Prouinciali concessis.

XIV. Damus Conuentui Illerdensi in Regentem R. P. Magistrum F. Ioanem Mur; & in Lectores Theologie PP. F. Io. Baptistam Rosel, F. Hyacinthum Minguet, & F. Hyacinthum Soliuera: ex quibus minor in professione, & lectura, exerceat officium Magistri Studentium. In Lectorum verò Artium damus P. F. Clementem Sifsteler.

XV. Damus Conuentui Gerundensi in Regentem R. P. F. Dominicum Ximenes: & in Lectores Theologie RR. PP. F. Antonium Lobera Præsentatum, & F. Franciscum Roger.

XVI. Damus Conuentui Perpiniani in Regentem R. P. F. Petrum Iust, & in Lectorem Theologie P. F. Thomam Noguera, & in Lectorem Artium P. F. Dominicum Villalta.

XVII. Damus Conuentui Cæsarugustano in Lectores Theologie RR. PP. F. Athanasium Stheuan Magistrum, F. Laurentium Cairosa Præsentatum, & F. Bernardum Romeo: & in Magistrum Studentium P. F. Thomam Noguerras.

XVIII. Damus Conuentui Aierue in Regentem R. P. Magistrum F. Petrum de Gurra & Borja, & in Lectorem Theologie R. P. F. Franciscum Amiguet: alios verò duos Theologie Lectores instituat adm. Reu. P. Prouincialis.

XIX. Damus Conuentui Oſcensi in Regentem R. P. F. Petrum de Vriue Magistrum, & in Lectores Theologie PP. F. Franciscum Sanches Præsentatum, & F. Ludouicum Guaso.

XX. Damus Conuentui de Tremp, in Magistrum Studentium pro biennio immediate sequenti, P. F. Franciscum Morera; & in Lectorem Artium P. F. Raphaelem Vidal.

XXI. Damus Conuentui Valentino in Regentem R. P. Magistrum F. Gasparem Catala de Monsohis .

XXII. Damus Conuentui de Xatiua in Regentem R. P. M. F. Andream del Faus : & in Lectores Theologiæ RR. PP. F. Raymundum Badia Præsentatū , & F. Raymundū Mena : & in Magistrū Studentiū P. F. Ioseph Angaroth : & in Lectorem Artium P. F. Ioannem Iſaac.

XXIII. Pro Regno Cataloniæ promouemus ad Magisterium R. P. F. Vincentium Ferreres pro loco vacante P. Magistri F. Antonij Burguera prædefuncti : & ad eius Præsentaturam vacantem promouemus P. F. Benedictum Puig, ad petitionem Prouinciæ .

Pro Regno Aragoniæ promouemus ad Magisterium RR. PP. F. Idelfonsum Baptista , & F. Dominicum Laberita : primum quidem pro primo loco vacante P. M. F. Ioannis Foix prædefuncti , & secundum pro loco vacante P. M. F. Hyacinthi Gascon prædefuncti : & ad Præsentaturas eorundem vacantes promouemus RR. Patres F. Laurentium Cairosa , & F. Franciscum Sanchez .

Item promouemus ad Magisterium R. P. F. Petrum Iust , cum voce , loco , & omnibus priuilegijs : & ad eius Præsentaturam vacantem promouemus RR. PP. Fr. Thomam Roger .

Pro Regno Valentiaë promouemus ad Magisterium R. P. F. Gasparum Catala , pro loco vacante P. Magistri F. Hyacinthi de Castro prædefuncti ; & ad eius Præsentaturam vacantem promouemus R. P. F. Raymundum Badia : & instituimus Præsentatum supranumerarium P. F. Henricum de la Torre .

XXIV. Pro Regno Aragoniæ instituimus Præsentatum , titulo Prædicationis, R. P. F. Thomam Ramon Prædicatorem generalem , pro loco vacante P. F. Petri à Barca defuncti .

XXV. In Regno Cataloniæ instituimus Prædicatores generales Patres F. Antonium Soler pro Conuentu de Peralada , F. Thomam Sempors pro Conuentu de Colibre : & pro prima vacante Prædicatione generali Conuentus Barchinonenſis , Fr. Thomam Planes .

In Regno Aragoniæ instituimus Prædicatorem generalem pro Conuentu Oſcenſi P. F. Gasparum Ram .

In Regno Valentiaë instituimus Prædicatores generales PP. F. Philippum Bru pro Conuentu de Xatiua , F. Io. Baptistam Doms pro Conuentu de la Olleria , F. Vincentiū Michon pro Conuentu S. Annæ de Albaida , F. Iacobum Forner pro Conuentu de Aiodar , F. Petrum Martyrem Marti pro Conuentu de Almenara , F. Dominicum Caprasio pro Collegio Oriolano , F. Hieronymum Trobat pro Conuentu Inca , F. Ioannem Monfre pro Conuentu de Iuſa .

XXVI. Acceptamus affiliationem P. F. Hieronymi Prats Prædicatoris generalis, à Conuentu Gerundenſi ad Barchinonenſem, iam in Capitulo prouinciali Cæſarauguſtæ 1625. acceptatam.

Item acceptamus Magiſterium cum loco, & voce, ceteriſque priuilegijs Magiſtris Prouinciæ acceptatis conceſſis, RR. PP. F. Lamberti Nouella, F. Petri Canadilla, F. Petri Gurea & Borja, F. Achatij March, F. Franciſci Fajardo, & F. Antonij Ribas.

Pro Prouincia Bohemiæ.

I. **P**ro reformatione & bono regimine huius Prouinciæ præcipimus omnibus Prioribus, & Conuentuum Præſidentibus, ſub pœna abſolutionis a ſuis officijs, & priuationis vtriuſque vocis per triennũ, vt nullo modo locent agros, lupuleta, prata, prædia, pagos, villas; ſed per ſuos ſeruos colonos, vel ſubditos, ſuos agros colant. Nec fructus eorundem quoquo pacto vendant, niſi prius factò computo de neceſſarijs pro victu Fratrum, & ſemente neceſſaria pro agrorum cultura; ex quo id quod ſupererit vendi poterit, & ex eius pretio de neceſſarijs Conuentui prouideri. Prouinciali vero pro tempore exiſtenti præcipimus, vt contrafacientes a ſuis officijs ſtatim abſoluat.

II. Ordinamus, vt P. Prouincialis prælo mandet decretum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini *de Bonis Regularium non alienandis*: illudq. ad omnes Senatus Ciuitatum Regni Bohemiæ, vbi adſunt Conuentus Ordinis, tranſmittat.

III. Præcipimus omnibus Fratribus tam huius Prouinciæ, quàm externarum, in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, ſub formali præcepto, necnon ſub pœna carceris ad biennium, ne in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Morauię, totoq. diſtrictu huius Prouincię acceptent Parochias, aut curã animarum. Ne verò Ordinarijs locorum, quorum Coadiutores ſumus, in neceſſarijs quoad curam animarum operam noſtram denegemus, Superiores Conuentuũ ab Ordinarijs requeſiti Patrem Prouincialem admonebunt, qui prout in Domino iudicabit expedire, Religioſum aliquem grauem, & idoneum pro parocho deſtinabit. Qui verò Parochijs, & Eccleſijs præſecti fuerint, tã in ſpiritualibus, quàm tẽporalibus, Priori proximioris Conuentus omnino ſubiectionis erunt; & dictarum Parochiarũ redditus, fructus, & eleemoſynæ ad huiusmodi proximiorẽ Conuentũ de iure ſpectabunt; ita vt dicti Fratres Parochi, vel Eccleſijs Ordinariorũ quomodolibet inferuentes, præſati Conuentus Priori reddituũ

ditum, fructuum, & eleemosynarum omnium fidelem rationē red-
dere teneantur. Prædictis autem Parochis, siue Ecclesiarum mini-
stris, a Patre Prouinciali assignetur congrua portio pro victu, & ve-
stitu, ceterisque eorundem necessitatibus. Præcipientes Patri Prouin-
ciali pro tempore, vt Fratres huic decreto inobedientes ad claustra
omnino corrigendos reducat, aliosque loco eorum substituat.

IV. Præcipimus Patri Prouinciali, vt summa diligentia quærat,
ac recuperet omnes scripturas ad quemcūque Conuentum, & hanc
Prouinciam spectantes; easque in vnum volumen in forma authenti-
ca, & probante redigat; & earum exemplar vnum in Conuentu
S. Ægidij, aliud in Conuentu Viennensi Prouinciæ Theutoniæ, &
aliud in Conuentu S. Mariæ super Mineruam Almæ Urbis reponat.

V. Præcipimus Patri Prouinciali, & Prioribus pro tempore,
sub pœna absolutionis ab officio, vt omnes Fratres fugitiuos in
ista Prouincia nunc existentes, omnibus medijs iuris & facti ab ea
expellant, & ad proprias Prouincias remittant; & in posterum nul-
los similes nisi in carceribus recipiant: è quibus non educantur,
nisi prius in scriptis sese ad proprias Prouincias statim reuersuros,
sub pœna triremium per triennium, obligauerint.

VI. Ordinamus, vt Frater, qui erit assignatus ad inseruiendum
Nationi Gallicanæ in Ecclesia S. Leonardi, nullo modo extra clau-
stra, sed in Conuentu sicut ceteri Fratres viuat. Ideoque præsentī
statuto quemcumque Fratrem pro tempore præfato seruiuo desti-
natum decernimus, ac declaramus assignatum in nostro Conuentu
S. Ægidij, ita vt omnino Patris Prouincialis, & Prioris dicti Con-
uentus obedientiæ in omnibus subditus sit. Si secus fecerit, ipso
facto administrationem dictæ Ecclesiæ, & vtraque voce priuatus
existat, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

VII. Præsentī statuto omnibus Patribus, ac Fratribus, qui à Ma-
gistro Ordinis ad hanc Prouinciam ad Theologiam, & Philoso-
phiam profitendam missi fuerint, Lectoratus, & Baccalaureatus, &
Magisterij palmam in suorum laborum præmium designamus: ita
vt Lectores, tribus, Baccalaurei, sex, & Magistri, octo annis in
suis assiduīs lectionibus laudabiliter completis, à Magistro Ordinis
ad huiusmodi gradus omnino promoueantur, seruatis seruandis.

VIII. Concedimus huic Prouinciæ, vt donec Conuentus S. Ægidij
ære alieno exoneratus fuerit, & ad commodiorem statum restitutus,
non teneatur ad Studium formale habendum, neque Studentes tam
Prouinciæ, quàm exteri, gaudeant vllis dispensationibus; & a Pro-
uinciali assignari possint in Conuentibus Fratrum penuria laborati-

bus: quorum litterarios labores loco Studij formalis acceptamus; & triennio absoluto ad Lectoratum examinari posse concedimus.

IX. Committimus P. Prouinciali, vt pro sua prudentia tres saltem domos pro educatione Nouitiorum, in præcipuis Conuentibus Prouinciæ designet; in quibus sex, vel saltem quatuor Nouitij educentur, seruatis seruandis.

X. Admonemus in Domino omnes Patres Prouinciales Germaniæ, Galliæ, Hispaniarum, & Italiæ, vt quando de licentia Magistri Ordinis, aut eius voluntate, aliqui huius Prouinciæ filij ad prædictas Prouincias, Studiorum causa missi fuerint, eos in Conuentibus, vbi studia & obseruantia regularis vigent, collocent, litterisque ac moribus imbuant, eosq. suis studijs absolutis ad hanc Prouinciam recto tramite reuersuros remittant: qui verò redire noluerint, vel distulerint, vtraque voce priuati, & ad quoscumque Religionis gradus inhabiles sint.

XI. Promouemus ad gradum Magisterij R. P. F. Dominicum Alanum, & ad Baccalaureatum F. Vincentium Fabri.

XII. Instituimus Prædicatores generales RR. PP. F. Franciscum Krobazki, Fr. Albertum Erbestum, Fr. Stephanum Zchiboski, F. Abrahamum de Passouia, & F. Gregorium Semelium, seruatis seruandis, & pro Cōuentibus sibi designandis à Capitulo prouinciali.

XIII. Declaramus P. F. Gregorium Matthæi esse legitimum filium nostri Conuentus S. Laurentij Ciuitatis Iabulonix,

Pro Prouincia Prouinciæ.

I. **A**uctoritate Apostolica restituimus, & integramus isti Prouinciæ Conuentus Massiliæ, Arelate, Carpentorasti, & Cauallionis: ex quibus simul cū Conuentibus Aquensi, Toloni, Tarasconi, Niciæ, Grassiæ, Draguigniani, Cistarici, Diensi, Semensi, Vapincij, Buxij, Barcinonen. Arauxiæ, & Brianzoni (excipimus Valentinum, Vicario Congregationis Occitanæ pro tempore subiectū, non tamen ab hac Prouincia separatū) constata, & composita, perpetuis futuris temporibus ista Prouincia Prouinciæ subsistat.

II. Designamus Conuentum Auenionem. nostræ Congregationis Occitanæ pro Nouitiatu, vt tot in eo recipiātur Nouitij huius Prouinciæ, quot Fratres natiuos tā dicti Conuentus Auenionensis, quam Valentini, in alijs Conuentibus hæc eadem Prouincia sustentabit.

III. Concedimus Monialibus Podij, S. Stephani Langouaci, & Viuariensi, vt liceat eis celebrare octauas solēnes S. Catharinæ Senēsis.

IV. Concedimus huic Prouinciæ augmentum Magistrorum, & Baccalaureorum, vsque ad numerum duodenarium.

V. Promouemus ad Magisteriũ RR. PP. F. Philibertum Portanũ, F. Iacobum Tornerium, F. Io. de Riues, F. Hyacinthum Thæon, F. Claudiũ Cortem, F. Petrum Clavier, saluis iuribus suæ Prouinciæ.

VI. Instituimus Baccalaureos RR. PP. F. Honoratum Arnandum, F. Ioannem Gerardum, F. Ludouicum Bajon, F. Balthassar Dufort, F. Antonium Passardũ, F. Hyacinthum Rebon, & F. Petrum Brogulum, saluis iuribus suæ Prouinciæ, & dummodo sit locus vacans.

VII. Instituimus Prædicatores generales RR. PP. F. Hyacinthum Hilarium, F. Raymundum Poignet, F. Antonium de Ille, pro Conuentibus ijsdem destinandis a Capitulo prouinciali.

Pro Prouincia Dalmatiæ.

I. **O**rdinamus, vt omnes Præsidentes Iadræ debeant necessario esse graduati, vel saltem Prædicatores; alijs, ad huiusmodi munera eligi non possint.

II. **O**rdinamus, vt Congregatio intermedia Prouinciæ, fiat ex Magistris, & Patribus Prouinciæ, Prædicatoribus generalibus, & Prioribus, ordine tantũ infra scripto: scilicet, quod prima vice intersit Congregationi Prior Iadelphinus, Sebenicensis, & Tragurinus: secunda vice, Prior S. Crucis Spalatenfis, & Bolenfis: tertia vice Prior Pharenfis Cuiusmodi veteris, Corchulensis, & Cattarenfis; eodẽ modo & ordine in sequentibus Congregationibus retrocedatur.

III. Prohibemus omnino translationem filiationum Fratrum à Conuentibus minoribus ad maiores huius Prouinciæ: & iam factas omnino annullamus.

IV. Prohibemus sub pœna absolutionis ab officio, Patri Prouinciali pro tempore, prout multoties in alijs Capitulis Generalibus prohibitum fuit, ne fiant assignationes Priorum pro Conuentibus, in quibus actũ sunt Priores; & factæ nihil valeant pro electione futuri Prioris.

V. Reuocamus omnes assignationes factas à Visitatoribus in ista Prouincia, cum taxato tẽporis termino, ita vt per Prouinciæ leuamur non possint easq; in liberâ eius potestate collocamus.

VI. Remittimus ad hanc Prouinciã filios eiusdem in alijs Prouincijs commorantes; Studij tantum causa excepta.

VII. Declaramus R. R. Magistrum Cornelium Nassium Inquirentem Iadrensem, rite & canonicè electum fuisse in Diffinitorem

præsents Capituli Generalis, vna cum R. P. F. Innocentio Parmesano de Almiffa, Electore in Capitulo Sebenicensi hoc anno celebrato; riteque adm. R. P. F. Ambrosium Luciceum de Spalato, eidem Capitulo, tamquam legitimum Prouinciæ caput, interfuisse, votumque tulisse: non obstantibus friuolis protestationibus PP. Fr. Nicolai Vitalis. & F. Cornelij Vticensis.

VIII. Concedimus P. F. Cypriano de Tragurio, vt seruatis seruandis possit affiliari in Conuentu S. Dominici de Tragurio à Conuentu S. Crucis de Bua: & Fr. Simoni de Sebenico à Conuentu Segnensi ad Conuentum S. Dominici de Sebenico: dummodo huiusmodi filiationes non sint à Conuentu minori ad maiorem.

IX. Priuamus præsenti decreto P. F. Cornelium Vticensem, Priorem olim Iadrensem, vtraque voce, & ad omnia Religionis officia perpetuò inhabilitamus, eo quòd Reuerendissimo Patri Vicario Generali Apostolico, in acceptando, & recipiendo R. P. Magistrum F. Cyprianum Philippinum Studij Iadrensis Regentem, ab ipso datum, obedire noluerit.

X. Promouemus ad gradum Magisterij RR. PP. F. Ambrosium Luciceum, F. Innocentium Parmesanum, & F. Dominicum Gledia, saluis tamen suæ Prouinciæ iuribus.

XI. Instituimus Baccalaureos RR. PP. F. Gregorium Griolam, F. Thomam Ducium, F. Euangelistam Numiceum, F. Victorium Grimani.

XII. Confirmamus in Prædicatores generales RR. PP. Fr. Angelum de Spalato, & F. Nicolaum Tombam, in Capitulo Sebenicensi iam institutos; dummodo quilibet eorum pro aliquo Conuentu determinato institutus sit, in quo viuere teneatur iuxta ordinationem in hoc Capitulo factam.

Pro Prouincia Trinacria.

I. **O**rdinamus, vt in ista Prouincia Magistri Studentium sint biennales; & Baccalaurei triennales tantum.

II. Ordinamus, vt Studentes formales in Studium non cooptentur, nisi litteras testimoniales de suorum morum ac vitæ integritate, Patrum à consilijs Conuentus, à quo recefferunt, habuerint, & à Studij Moderatoribus examinati, & per vota secreta approbati fuerint. Quòd si huiusmodi Moderatores aliquem Fratrem in Studium absque præuio examine receperint, in pœnam suis officijs priuentur; talisque Fratris receptio nulla sit.

III. Or-

III. Ordinamus, vt omnes Studentes singulis annis quoad litteras & mores examinentur, ac per vota secreta approbentur vel reprobentur. Idem fiat in examine ad officium Lectoratus: aliàs, receptio, & institutio Lectoris nulla sit.

IV. Confirmamus omnes Ordinationes editas in Capitulo prouinciali proximè Panormi celebrato sub A. R. P. Magistro F. Vincentio Bartolo, tunc Vicario & Commissario generali Prouinciæ.

V. Restituimus ad pristinas gratias Ordinis PP. F. Placidum Alegra, & F. Thomam Anglisianum; ita tamen vt iste, sola voce actiua gaudeat.

VI. Damus in Regentem nostri Studij Panormitani R. P. Magistrum F. Ioannem Vincentium Candia; & in Baccalaureum P. F. Augustinum Mancusam.

VII. Committimus R. P. Prouinciali, vt pro primo & secundo biennio, tam in Studio Panormitano, quàm Messanenſi, instituere possit Magistros Studentium, & Baccalaureos, iuris ordine seruato.

VIII. Promouemus ad gradum Magisterij RR. PP. F. Decium la Barca, F. Laurentium Bertolum, F. Petrum Rauda, F. Franciscum Crippa, F. Augustinum Rossi, F. Gregorium Cataldo, F. Hyacinthum Canizaro, F. Dominicum Campeſium, si cum eo Sanctissimus dispensauerit.

IX. Instituimus Baccalaureos RR. PP. F. Angelum Romanum, F. Antoninum Cicala, F. Angelum Iopez, F. Raymundum Patania, F. Augustinum Spuches, F. Placidum Leanti, F. Franciscum Salaphia, F. Bonauenturam de Messana, F. Thomam de Monte Albano, F. Vincentium Fidelem, F. Thomam Canizaro, F. Aloysium Græcum, & F. Scipionem Castelletum: dummodo tamen quisque suo tempore in Studio generali Baccalaureatus officio fungatur.

X. Instituimus Prædicatores generales RR. PP. F. Antoninum Donzelli, F. Matthæum Mazoni, F. Vincentium Calogero, F. Vincentium Celli, F. Thomam Salaphia, F. Hyacinthum de Blasi, F. Iulium Trabona, & F. Vincentium Bladum: seruata tamen forma examinis, & designatione Conuentuum in præſenti Capitulo præscripta: quæ designatio in proximo Capitulo prouinciali omnino fiat; aliàs, præſens institutio nulla prorsus sit.

Pro Prouincia Portugalliæ.

I. **O** Ordinamus, vt omnia Monasteria Monialium, siue sint subiecta Prouincialibus, siue Prioribus conuentualibus, de-

inceps habeant suos Vicarios peculiares. Ideoque A. R. P. Prouinciali pro tempore præcipimus, vt præsens decretum executioni omnino mandet; ita tamen vt huiusmodi Vicarij, vel saltem dictarum Monialium Confessarij, apud dicta Monasteria commorentur, ipsarum Monialium expensis alendi & sustentandi, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

II. Ordinamus, vt assignati pro officio Vicarij Conuentuum tam Monialium, quàm Fratrum, completo suo officio maneant assignati in Conuentibus, quorum sunt filij.

III. Mandamus, vt præfigatur numerus Monialium Conuentus S. Annæ de Leiria, iudicio & arbitrio P. Prouincialis, de consilio Patrum, habita ratione reddituum dicti Monasterij.

IV. Concedimus Monialibus Annunciata, vt possint celebrare festum translationis S. Thomæ Aquinatis die xxviij. Ianuarij sub toto duplici.

V. Acceptamus Breue Apostolicum à S.D.N. VRBANO VIII. concessum *sub Datum Romæ die vi. Iunij 1629. Pont. anno vi.* In quo conceditur facultas Magistro Ordinis, vt in Diffinitorio de consensu Prouincialis, & Diffinitoris Prouinciæ possit facere, ordinare, & statuere circa gradus Magisterij & Præsentaturæ, quicquid sibi visum fuerit expedire. Cuius vigore instituius sacre Theologiæ Magistros RR. PP. F. Emmanuelem Maçedo, & F. Christophorum Carbon, cum loco, voce, ceterisque gratijs, & priuilegijs, & dispensationibus, absque alia acceptance Prouinciæ: & acceptamus Magisterium A. R. P. F. Emmanuelis Telles Prouincialis, pro loco vacante per obitum P. Magistri F. Ioannis de Valdares, sine alia acceptance Prouinciæ.

VIII. Dispensamus cum RR. PP. Magistris F. Thoma de Rocha, F. Ignatio Galuano, F. Emmanuele Rebello, concedentes eis, vt absque alia Prouinciæ acceptance, loco, & voce gaudeant: ita tamen vt in locis vacantibus Magistrorum de numero subintrent, nec ab alijs Magistris huiusmodi loca occupari possint.

IX. Item promouemus ad gradum Magisterij, saluis iuribus Prouinciæ, RR. PP. F. Antonium Barbosa, F. Antonium Chortinbo, F. Andream de Sancto Thoma, F. Ioannem Vasconcellum, & F. Aluarum de Castro.

X. Exponimus ad Præsentaturam, pro gradu & forma Magisterij, saluis iuribus Prouinciæ, RR. PP. F. Stephanum Bortello, F. Ioannem de Cruce, F. Philippum de Medeiros, F. Ferdinandum de Cruce, & F. Raphaellem de Fonseca.

XI. Extendimus numerum denarium Præsentatorum huius Prouinciæ, vsque ad numerum duodenarium: & pro primo instituimus Præsentatum R. P. F. Antonium Varjam: pro secundo P. F. Paulum de Sousa.

XII. Instituimus Prædicatores generales pro primo loco vacante, P. F. Franciscum de Torres; pro secundo P. F. Sebastianum de Angelis, pro Conuētibus sibi designādis in Capitulo prouinciali,

XIII. Mandamus R. P. F. Augustino de Plagis Prædicatori generali, vt sedulo curet canonizationem Martyrum de Solor, & F. Bartholomæi de Martyribus Archiepiscopi Bracarensis.

Pro Congregatione Indiarum Orientalium, Prouinciæ Portugalliæ annexa.

I. **C** Oncedimus huic Cōgregationi, vt Vicarij nationū auctoritas prorogetur vsq. ad publicationē Capituli prouincialis.

II. Acceptamus pro eadem Congregatione Domus de Columbo, de Nagapatan, de Meliapor, de Tanaha, & de Meym:

III. Extendimus auctoritate Apostolica numerum Præsentatorum huius Congregationis, ad quatuor: & pro primo istorum locorum instituimus Præsentatum pro forma & gradu Magisterij, P. F. Ludouicum de Cruce, & F. Thomam de Barros Lectorem.

IV. Committimus Reuerendiss. Patri Magistro Ordinis, damusque eidem omnem nostram facultatem, vt disponat de negocijs huius Congregationis, sicut ei videbitur.

Pro Prouincia Bætica.

I. **A** cceptamus Breue Apostolicum pro Prouincia Bætica, &c. *Datum Romæ die 1. Iunij 1629. Pont. an. vi.* In quo cum sit nobis tributa facultas statuendi circa socios Conuentuum solitos transmitti ad Capitulum prouinciale; mandamus sub pœna priuationis vocis actiue & passiuæ, ipso facto incurrenda, vt prædicti socij nullatenus eligantur. Quod si electi fuerint, sub eadem pœna mandamus, ne ad electionem Prouincialis admittantur.

II. Eadem Apostolica auctoritate, sub eisdem pœnis præcipimus omnibus dictæ Prouinciæ Superioribus pro tēpore, vt eodem modo & forma, qua congregandi, & conuocandi erant Vocales pro electione socij Prioris euntis ad Capitulum prouinciale, conuocent,

uocent, & congregent eos pro scrutinio faciendo pro retentione, vel amotione Prioris: quod vna cum duobus Scrutatoribus, iuxta præscriptum nostrarum Constitutionū, fiat. Scrutinium verò tradatur Patri Prædicatori generali Conuentus, Diffinitorio Capituli ab ipso fideliter exhibendum: cui, si absens fuerit, transmittatur. Si verò legitimè impeditus ad Capitulum non iuerit, teneatur Supprior transmittere dictum scrutinium ad aliquem Patrem designandum à Patre Prouinciali, vel Vicario Prouinciæ in litteris conuocatorijs Capituli. Quæ omnia & singula, supradictis Supprioribus, Scrutatoribus, & Vocalibus, respectiue sub eisdem pœnis obseruari, & executioni mandari præcipimus.

III. Ordinamus, & præcipimus sub formali præcepto, necnon sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, omnibus Fratribus huius Prouinciæ, ne quis absque licentia Prouincialis ad Capitulum prouinciale, vel Congregationem intermediam, non spectans ad ciuitatem, vel oppidum, in quo Capitulum, vel Congregatio prædicta celebratur, accedere audeat: Declarantes omnes inobedientes, ad quoscumque gradus, & officia in eisdem Capitulis, siue Congregationibus distribuenda, inhabiles fore.

IV. Præcipimus Patribus Prouincialibus, & Prioribus, siue Præsidentibus Conuentuum, in quibus præfata Capitula, vel Congregationes celebrantur, vt à superfluis expensis in Fratrum epulis abstineant.

V. Eadem auctoritate Apostolica, Magistro Ordinis, nobisq. ad hoc specialiter concessa, numerum trigintaquatuor Præsentatorum, qui ratione Lecturæ in hac Prouincia erat præfixus, extendimus vsque ad quadragenarium: qui perpetuo firmus maneat, & nonnisi ex habentibus requisita, iuxta specialia eiusdē Prouinciæ iura, constet.

VI. Eadem auctoritate Apostolica supradicta statuimus in perpetuum, vt ex Prædicatoribus eximijs huius Prouinciæ, duodecim possint institui Præsentati pro Prædicationis titulo: qui omnes gaudeant loco, ceterisque gratijs, & priuilegijs Præsentatorum numeralium eiusdem Prouinciæ: in quorum institutione seruetur Alternatiua eiusdem Prouinciæ, in gradibus conferendis statuta, tam in gradibus numerarijs, quàm supranumerarijs.

VII. Prohibemus omnibus Prioribus & Præsidentibus Conuentuum, sub pœna suspensionis à suis officijs per sex menses, ne sub vilo prætextu aut occasione, permittant recitari Cōpletoriū ante cœnam, siue hyeme, siue æstate: diebus festiuis, & recreationū exceptis.

VIII. Accepamus, & quatenus opus sit, de nouo concedimus
Patro-

Patronatum Excellentiss. Ducis de Medina sidonia ; vtpote qui ex præclara Gusmanorum progenie ortum ducens , de nostro Ordine benemeritus est : volumusque eum liberè potiri , & gaudere omnibus priuilegijs , quibus huiusmodi Patroni de iure , vel approbata consuetudine potiri , & gaudere consueuerunt .

IX. Acceptamus concordiam inter Excellentiss.DD.Marchiones de Aiamonte, perpetuos patronos nostri Conuentus Reginæ Angelorum Hispalensis , & Reuerendiss. P. F. Seraphinum Siccum nostri Ordinis Generalem Magistrum, & istam Prouinciã: secundum ea quæ iam fuerût acceptata à Capitulo prouinciali eiusede Prouinciæ.

X. Item ad gratias Ordinis recipimus vtriusque Ordinis Confratres Societatum animarum Purgatorij, & Nominis Iesu, in Conuentu S.Mariæ Gienens. fundatarum . Idemque beneficium impartimur Confratribus Societatis Crucifixi , in Conuentu S. Dominici de Alcaraz fundatæ .

XI. Acceptamus , & de nouo concedimus , & confirmamus Ordinationes omnes à Magistro Ordinis prædefuncto pro bono regimine huius Prouinciæ factas, *sub datis Romæ xv. Aprilis 1625.* & ab eadem Prouincia acceptatas, cum omnibus in eis contentis .

XII. Concedimus omnibus Conuentibus tam Fratrum , quàm Monialium huius Prouinciæ , vt possint celebrare festum S. Brunonis Confessoris, & S. Teresiæ Virginis , diebus ab Ecclesia designatis , sub toto duplici .

XIII. Concedimus omnibus Monasterijs Monialium huius Prouinciæ , vt possint celebrare octauam solemnem S. Io. Baptistæ , & festum S. Ioannis ante portam Latinam, sub toto duplici .

XIV. Concedimus Monasterijs Monialium S. Mariæ de Gratia Hispalen. & S. Mariæ Angelorum , & S. Mariæ Conceptionis Gienens. vt possint celebrare festum S. Geltrudes Virginis sub toto duplici, & translationis S. Andreæ Apost. sub toto duplici die ix. Maij.

XV. Concedimus Monialibus Monasterij Matris Dei Hispalen. vt possint celebrare festum S. Benedicti Abbatis sub toto duplici . Et Monialibus S. Mariæ Incarnationis oppidi de Almonte, vt possint celebrare festum S. Agathæ sub toto duplici .

XVI. Concedimus Monialibus Matris Dei de Vado, oppidi de Gibraleon , vt possint celebrare octauam solemnem Natiuitatis Beatæ Mariæ , & Annunciationis Dominicæ : dummodo homilix seriales Quadragesimæ non omittantur , & absoluant ante Dominicam in Ramis , & Dominica infra octauam fiat officium de ipsa Dominica , cum sola memoria de Octaua .

XVII. Eri-

XVII. Erigimus in Prioratum Domum S. Dominici de Gusman oppidi de Niebla , instante Excellentissimo Duce de Medina sidonia, eiusdem loci Domino; si tamen prædictus Conuentus habeat redditus, vt possit alere continuo duodecim Fratres; quo casu creamus Priorem dicti Conuentus P. F. Didacum de la Fuente , quem etiam instituimus Prædicatorem generalem dicti Conuentus.

XVIII. Acceptamus Magisterium R. P. F. Io. Baptistæ de Valdespino , cum loco & voce , omnibusque gratijs , & priuilegijs Magistrorum eiusdem Prouinciæ , auctoritate Apostolica ad hoc nobis specialiter concessa .

XIX. Promouemus ad gradum Magisterij , & Præsentaturam in Theologia , respectiue , omnes admissos in petitionibus factis ab AA. RR. PP. Prouinciali, & Diffinitore huius Prouinciæ, iuxta concessionem Apostolicam eis specialiter factam . Item iam promotos acceptamus , & Magistrorum dictæ Prouinciæ consortio incorporamus : Dispensantes super numero , dummodo habeant alia requisita secundum iura Prouinciæ .

Volumus tamen & statuimus , vt dicti Magistri statim ac loca præfata Magistrorum numeralium vacauerint , in eisdem succedant , antiquitatis ordine seruato .

XX. Declaramus , institutiones Prædicatorum generalium pro locis in futurum vacantibus in hoc Capitulo expeditas , esse intelligendas secundum ordinem antiquitatis professionis inter ipsos Patres institutos . Quod etiam intelligimus respectu eorum , qui in præcedenti Capitulo Tolosano pro locis in futurum vacantibus sunt instituti, seruatis seruandis in conuentione Alternatiuæ facta.

Pro Prouincia Germaniæ Inferioris .

I. **O**rdinamus , & omnino prohibemus , ne in hac Prouincia ex diuersis nationibus constante , quisquam in posterum Nationum diuisiones tentare audeat : Qui secus fecerit , ipso facto , constante , vtraque voce , & quocumque gradu ac officio statim priuatus sit , & per A. R. P. Prouincialem ita priuatus declaretur .

II. Concedimus huic Prouinciæ , vt possit Capitulum intermedium , omittere , eiusque loco Congregationem Patrum Prouinciæ facere : in qua omnia & singula , quæ in Capitulo intermedio fieri solent , fieri poterunt . Ita tamen vt institutio Prædicatorum generalium , à Patre Prouinciali electo , vna cum Diffinitoribus Capituli prouincialis , & Magistrorum Prouinciæ acceptatione , semper fiat ; alias , nulla omnino sit .

III. Affiliamus seruatis seruandis, P. F. Vincentium Georgi ex Conuentu Traiectensi ad Insulensem, & P. F. Nicolaum Tilmans ex Congregatione Occitana ad hanc Prouinciã pro Conuentu Traiectensi, & F. Danielẽ Azardt, ex Cõuentu Louanien. ad Antuerpiẽ.

I V. Instituiamus Magistrum in sacra Theologia R. P. Fr. Ambrosium Cappello.

V. Augemus numerum Magistrorum huius Prouinciæ, ita vt duodenario superaddatur ex qualibet trium nationum vnus.

VI. Promouemus ad gradum Licentiaturæ RR. PP. F. Robertum Lagare, & F. Adrianum Pacimans.

VII. Promouemus ad gradum Baccalaureatus PP. F. Cornelium de Lier, F. Ludouicum Olislaghers, & F. Andream Vvillardeth.

Pro Prouincia S. Thomæ.

I. **O**rdinamus, vt si aliquis Moderator Studij nostri generalis Andriæ, vel Lector actualis alicuius Conuentus, per integrum mensem à sui officij functione cessauerit, exceptis diebus vacationum consuetis, statim à Patre Prouinciali suo officio spoliatur. Quod si aliquis eorum tempore Quadragesimæ, vel Aduentus, de Superiorum licentia conciones habendo, à suo munere defecerit, tempore consueto vacationum annualium omnes lectiones omittas perlegere sub eadem pœna teneatur.

II. Ordinamus, vt omnes Studentes, tam Studij generalis quam cuiuscumque Conuentus, singulis annis super tota lectura annuali præterita, tã theologica, quàm philosophica respectiue, examinentur à Moderatoribus Studij in Studio generali coram P. Prouinciali: in alijs verò Conuentibus ab examineribus à P. Prouinciali deputandis, & coram ipso examinantibus, eosdemq. per secreta suffragia approbantibus, vel reprobantibus. Qui verò ad Lectoratum promouendi fuerint, prius à Patribus à consilijs per vota secreta in moribus approbentur, ac deinde in litteris à Studij Moderatoribus examinentur: aliàs promotio eorum nulla sit.

III. Concedimus P. Prouinciali pro tempore, vt si aliquando per temporis angustias non liceat à Magistro Ordinis impetrare licentiam concionandi in Aduentu, & Quadragesima pro Prioribus Conuentualibus, extra suas Ecclesias, possit ipse Prouincialis eam Prioribus concedere; dummodo regimen Conuentus damnum aliquod ex Prioris absentia non patiatur, non obstante Constitutione Capituli generalis Mediolanensis anno 1622.

IV. Con-

IV. Concedimus Socio Prouincialis pro tempore , vt gaudeat titulo & loco tantum Prioris Idruntini .

V. Concedimus, vt collectæ huius Prouinciæ soluantur à Conuentibus iuxta taxam in proximo Capitulo prouinciali Andriæ celebrato factam .

VI. Restituimus , quantum in nobis est , huic Prouinciæ Conuentum Ferrandinae, impetrato tamen prius Sanctiss. D.N. assensu.

VII. Committimus A. Reu. P. Prouinciali tantum pro hac vice, vt instituat Parochum Conuentus S. Mariæ Maioris Griptolarum .

VIII. Committimus A.Reuer. P.Prouinciali Regni, P. Magistro F. Gregorio Donato, vt visis processibus P.F.Vincentij de Ferrandina, & F.Hyacinthi de Heritono Conuersi, in triremibus existentium; si eos innocentes repererit , à triremibus eosdem educere , & reuocare possit , & P. Prouinciali S. Thomæ consignare .

IX. Erigimus in Prioratum loca Sanctissimi Rosarij de Rupis, & Sancti Spiritus de Mure: dummodo possint alere duodecim Fratres , ceterisque seruandis seruatis .

X. Transferimus affiliationem P. F.Antenini de Trano à Conuentu Atellæ ad Conuentum Ruborum , seruatis seruandis .

XI. Approbamus Magisterium cum loco & voce P. F. Thomæ à Grumo, a Reuerendissimo Magistro Ordinis prædefuncto promoti , & a Prouincia iam acceptati .

XII. Promouemus ad Magisterium, saluis iuribus Prouinciæ, RR. PP.F.Dominicum de Grauina, F.Vincentium Camerlengum, F.Benedictum de Taranto , F.Hieronymum de Barulo , F. Vincentium de Castellaneta , F. Felicianum de Polignano , F. Antonium de Martina, F.Io.Baptistam de Galipola, & F.Dionysium de Licio.

XIII. Instituimus Baccalaureos , saluis iuribus Prouinciæ , RR. PP. F.Reginaldum de Martina, F.Thomam de Luceria, F.Bartholomæum de Vigilijs , F. Io. Marcum de Castellano, F. Io. Eliam de Bitunto , F. Petrum Martyrem de Bitunto , F. Io. Mariam de de Matera, F.Io. Baptistam de Vigilijs, & F.Io.Baptistam de Vico.

XIV. Damus in Regentem nostri Studij generalis Andriæ Reu. P. Magistrum F. Hieronymum de Barulo; & in Baccalaureum ordinarium Reuer. P. F. Vincentium de Castellaneta : de Magistro vero Studentium prouideatur prout de iure .

Pro Prouincia Calabriae .

I. **O**rdinamus , ac designamus Conuentum S. Dominici de Suriano pro strictiori obseruantia , iuxta glossam Constitutionum

tionum *dist. 2. cap. 2. in fine*, & educatione omnium Nouitiorum dictæ Prouinciæ. Quapropter a dicto Conuentu auferimus Studium generale, & ad Conuentum Neocastrensem cum senario numero Studentium formalium transferimus. Volumus autem, & statuimus, vt Moderatores pro gradu & forma Magisterij, in dicto Studio legant. Item mandamus Priori dicti Conuentus, vt pro hac vice tantum Moderatoribus, ac Studentibus præfatis ære Conuentus S. Dominici de Suriano de lectisternijs prouideat.

II. Ordinamus, & omnino prohibemus, ne in posterum recipiantur ad habitum pro præfato Conuentu Iuvenes Suriani, cum iam numerus filiorum eiusdem nimius sit, nec eius redditibus maior ali possit.

III. Ordinamus, & mandamus P. Prouinciali Aprutino, Fratribusq. in loco nostro Paulæ existentibus, vt quamprimum locum Sanctissimi Rosarij dictæ Ciuitatis, huius Prouinciæ expensis fundatum restituant; sicut de facto, præstito iam in præsentì Dissinitorio assensu Patris Prouincialis Aprutini, præfatum locum Sanctissimi Rosarij Paulæ præsentì decreto huic Prouinciæ restituimus.

IV. Concedimus P. Prouinciali facultatem fundandi Conuentum in terra Coriliani, dummodo in eo ali possint duodecim Fratres; item erigendi Domum S. Mariæ Gratiarum, dummodo in tuto loco. Item mandamus eidem Patri Prouinciali, vt colligat omnes processus contra Fratres huius Prouinciæ compilatos; ipsisque visis, & maturè per se, vel per Iudices ab ipso destinatos consideratis, quamprimum prout de iure causas in eis contentas terminet, eosq. Romam in Archiuio Magistri Ordinis seruandos trāsmittat. Item committimus eidem P. Prouinciali, vt Conuentum Salutis de Neapoli ad meliorem, & ampliorem formam redigi curet.

V. Augemus in hac Prouincia numerum Magistrorum vsque ad vigintiquinque, quo maior esse nequeat.

VI. Approbamus Magisteria RR. PP. F. Hieronymi de Suriano, & F. Pauli de Monteleone, promotorum in Capitulo Generali Vlyssiponen. cum loco, & voce, ceterisque priuilegijs Magistrorum Prouinciæ, à die promotionis eorum.

VII. Promouemus ad Magisterium RR. PP. F. Hieronymum de Altomonte, F. Hyacinthum de Laino, F. Hieronymum Sanblasium, F. Dominicum de Galatro, F. Vincentium de Radicera, F. Thomam de Sibari, F. Io. Baptistam de S. Georgio, F. Thomam Campanellam, & F. Ioannem de Cofentia.

VIII. Instituimus Baccalaureos RR. PP. F. Hyacinthum de Cofen-

Cosentia, Fr. Hyacinthum de Sibari, Fr. Siluestrum Dardanum, F. Michaellem de Cotrono, F. Andream de flumine Mauri, F. Dominicum de Polestina, F. Dominicum de Filogassio, F. Franciscum de Castrouetere, F. Thomam de Neocastro, F. Dominicum de Suriano, F. Dionysium de Briatico, F. Bartholomæum de Monte leonis, & F. Michaellem de Polestina.

IX. Instituiamus Prædicatores generales RR. PP. F. Vincentium Cicalo pro Conuentu Suriani, Fr. Io. Baptistam de Paterno pro Conuentu S. Georgij, F. Paulum de Balnearea pro Conuentu Cattanzani, F. Hieronymum Theti pro Conuentu Filogassi, F. Vincentium de Balnearea, Fr. Dominicum de Medicina pro Conuentu Medicino, F. Io. Baptistam Papalo pro Conuentu Montisleonis.

Pro Prouincia Hiberniæ.

I. **O**rdinamus, & omnino prohibemus omnibus Fratribus in Collegio Louanienfi S. Io. Baptistæ pro hac Prouincia destinatis, ne scilicet ingerere audeant in Studiorum prouisionibus: sed Rector, seu Prælatus dicti Collegij, ceterique Moderatores, & Studentes eiusdem, à Patre Prouinciali Hiberniæ tantum, de consilio Patrum, vel Dissinitorum Capituli prouincialis eligantur, & instituantur: ipsumque Collegium dicto Patri Prouinciali pro tempore in omnibus omnino subiectum sit.

II. Ordinamus, vt statim ac Frater aliquis Hibernus, alterius Prouinciæ filius, Hiberniam appulerit, de consensu Patris Prouincialis pro tempore Conuentum aliquem sibi deligat, cuius quantum ad suorum bonorum successionem erit quasi filius; confirman-tes dispensationem concessam Patribus huius Prouinciæ à Capitulo Generali Mediolanensi 1622. Quod scilicet quamdiu in Regno Angliæ, eiusq. ditionibus, res Catholicorum pacatæ non fuerint, nullam bonorum Fratrum defunctorum partem ad Cōuentus aliarum Prouinciarum, quorum erant filij, mittere teneantur. Cuilibet vero Fratri huiusmodi morienti, quoad suffragia, gratias & onera teneatur Conuentus ab ipso in suo aduentu in istam Prouinciam delectus; qui quasi natiuus eiusdem, tam quoad hæc, quam quoad cetera omnia filijs Conuentuum debita, censendus erit.

III. Concedimus Fratribus Hibernis, qui habitum in alijs Prouincijs susceperunt vel suscipient, & in aliquo Hiberniæ Conuentu assignati fuerint, vt censeantur incorporati isti Prouinciæ, & ad eam simpliciter translati: ita vt omnibus gratijs, priuilegijs, im-

muni-

munitatibus, officijs, suffragijs, & vtraque voce gaudeant, Diffinitores, & Electores Capituli generalis eligi valeant, æquè ac si in ista Prouincia professionem emisissent.

IV. Iustis de causis dispensamus cum hac Prouincia, vt Diffinitores Capituli generalis, & prouincialis possint in ea reeligi, & in duobus Capitulis generalibus, siue prouincialibus immediatis diffinire. Item vt Socij Diffinitorum Capitulorum generalium, & Priorum conuentualium euntium ad Capitulum prouinciale possint reeligi, & in duabus electionibus Prouincialium immediatis suffragium ferre, durante necessitate, & penuria Fratrum prouectoris ætatis.

V. Concedimus huic Prouinciæ, vt numerus Magistrorum in Theologia sit senarius, & Præsentatorum, & Baccalaureorum octonarius; quorum postulatio fiat in Capitulo prouinciali, attentis meritis personarum.

VI. Concedimus, vt Prouinciales electi, tanquam Vicarij generales Prouinciæ, statim Prouinciam regere incipiant; omniaque & singula peragere valeant, ac si confirmati essent. Porro quamprimum ad Magistrum Ordinis Scrutinium electionis Prouincialis tutò transmittatur, & confirmatio impetretur. Tempus verò quadriennij Prouincialatus ab ipsa die electionis sumat exordium.

VII. Concedimus Patri Prouinciali nunc & pro tempore existenti, acceptandi quæcumque loca, prædia, terras, domos, & alia huiusmodi bona, quæ Religioni à quocumque oblata fuerint, ad effectum in eis Conuentus erigendi, aut Residentiæ pro Fratribus in eis habendæ.

VIII. Item, cum multa in nostris Constitutionibus, eorumque glossis, & ordinationibus Capitulorum Generalium inueniantur, quæ in ista Prouincia secundum præsentem rerum statum commodè obseruari nequeunt: Concedimus P. Prouinciali nunc & pro tempore existenti, ad tollendos scrupulos conscientiæ Fratrum, facultatem super huiusmodi, iuxta temporis necessitatem, bonique regiminis exigentiam in omnibus, cuiuscumque generis fuerint.

IX. Concedimus P. Prouinciali pro tempore existenti, vt mittere possit ad Romanam Curiam Fratrem aliquem re religiosi moribus, & prudentia ornatum, qui Procuratoris partes in negocijs istius Prouinciæ tractandis, & expediendis agat: qui ita authenticè missus possit in Vrbe permanere, donec dicta negocia expediantur, vel à P. Prouinciali reuocetur.

X. Confirmamus Decretum editum in Capitulo prouinciali Gligoën 1627. circa diuisionem bonorum Fratrum defunctorum: quo statuitur vt huiusmodi bona in tres partes diuidantur, quarum vna detur Conuentui suæ affiliationis, secunda Conuentui suæ assignationis,

nis, tertia detur pro Missis, & Suffragijs in subsidium defuncti persolvendis, Conuentui affiliationis, & Conuentui assignationis pro rata: qui huiusmodi Suffragia persolvere teneantur: præter quæ celebrentur pro quolibet Fratре defuncto, omnia quæ a nostris Constitutionibus pro Suffragijs describuntur.

XI. Committimus Patri Prouinciali pro tempore, curam Prouinciæ Scotiæ, & Insularum adiacentium: ipsique omnino iniungimus, vt quâprimum fieri poterit, Fratres aliquos Hibernos propagationis Fidei, nostræque Religionis zelo pollentes eò transmittat, qui collapsam in illis partibus Christianam, nostramque Religionem reparare ac restituere suis prædicationibus, & exemplis conentur.

XII. Summoperè commendamus AA. RR. PP. Prouincialibus Ordinibus omnes huius Prouinciæ Fratres; eosque in Domino hortamur, vt in eis complectendis, faciles ac benignos sese exhibeant, eosque ad studia promptè admittant; memores se ad id ex diuina lege, nostrisque Constitutionibus, & professione teneri; cum præsertim huius Prouinciæ Fratres egregiè, strenuèque vsque ad sanguinem in Fide tuenda, & propaganda quotidie insudare non desistant.

XIII. Promouemus ad Magisterij gradum A. R. P. Præsentatum, F. Nicolaum Linceum, huius Prouinciæ Prouincialem, & in præsentî Capitulo Dissinictorem, cum omnibus gratijs & priuilegijs: & R. P. F. Michaelē de Spiritu sancto Lectorem, Priorem Conuentus Sancti Ægidij Pragensis, Prouinciæ Bohemiæ.

XIV. Instituiamus Præsentatum P. F. Riccardum de la Penna, ad petitionem dicti Patris Prouincialis.

Pro Prouincia Mexicana.

I. **C**onfirmamus, & approbamus omnia & singula in præcedenti Capitulo Tolosano pro ista Prouincia ordinata, & statuta.

II. Concedimus omnem nostram facultatem Magistro Ordinis, vt omnia & singula, quæ pro pacis, & Religionis progressu sibi in Domino videbuntur expedire, pro ista Prouincia ordinet, & disponat.

III. Confirmamus, & approbamus Magisterium P. Fr. Ferdinandi Martincalui, declarantes ipsum Magistrum supranumeratum, iuxta Prouinciæ, & Dissinictorum Capituli prouincialis petitionem: supplemusque quemcumque defectum quatenus opus sit, ad huiusmodi effectum consequendum.

IV. Confirmamus Præsentaturas RR. PP. F. Didaci de los Cobos, F. Thomæ de Sancto Ioanne, F. Ioannis del Castillo, F. Francisci Naranjo, à Magistro Ordinis prædefuncto eisdem collatas.

V. In-

V. Instituímus Prædicatores generales pro natione Mexicana, RR. PP. Fr. Ioannem de Victória, & Fr. Iosephum Cortes, dummodo optimè calleant linguam Indorum, & non aliter: declarantes eos supra numerum Prædicatorum generalium illis statim potiri debere. Item confirmamus, & approbamus Prædicaturam generalem P. Fr. Alphonsi Gutierrez, in Capitulo Tolosano eidem à Reuerendissimo Magistro Ordinis concessam, pro Conuentibus sibi designandis in Capitulo prouinciali.

Pro Prouincia Peruana.

I. **C**onfirmamus, & ampliamus pro ista Prouincia Ordinationem olim factam pro Prouincia Mexicana Romæ 1580. *Concessione xx.* quòd scilicet Prouinciales, & Diffinitores Capituli, vel ipse Prouincialis vna cum Patribus à consilijs Sancti Dominici de Mexico, dubitationes, quæ ex ordinationibus Capitulorum Generalium, vel Magistri Ordinis suboriri possent, resolvere, interpretari, & declarare valeant; dummodo eidem Magistro Ordinis supra eisdem difficultatibus quamprimum scribant: & vsque ad eius responsum, seu secundam iussionem, securi in conscientia maneant. Volumus tamen vt huiusmodi Congregatio Patrum in Ciuitate Limensi, cum Priore, & Patribus à consilijs Sanctissimi Rosarij, & Sanctæ Mariæ Magdalena, à Prouinciali fieri possit.

II. Extendimus numerum Præsentatorum ad titulum Prædicationis vsque ad senariũ. Et quoniam Magister Ordinis prædefunctus nonnullos Præsentatos instituit, & postmodum aliquorum locus vacauerit, ignoreturque quinam sint, & in cuius locum succedere debeant: declaramus supradictos quinque Præsentatos ad titulũ Doctoratus, ordine antiquitatis suæ professionis sibi inuicem in locis vacantibus debere succedere, & tunc tantum loco, ceterisque priuilegijs potituros.

III. Extendimus numerum Magistrorum huius Prouinciæ ad duodenarium: eidemque concedimus octo Prædicatores generales ad titulum linguarum Indorum.

IV. Concedimus huic Prouinciæ, ob penuriam Fratrum Conuersorum, vt Conuersi post annum suæ probationis possint emittere solemnem professionem, seruatis seruandis; quibuscumque Ordinationibus Capitulorum Generalium in contrarium non obstantibus.

V. Acceptamus Magisterij gradum RR. PP. F. Antonij de Peñaranda, F. Michaelis de Leon, F. Joannis de Espinosa. Et Præsentaturam RR. PP. F. Augustini de Leon, & F. Gasparis Saldaña, cum retentione suæ Prædicaturæ generalis.

VI. Promouemus ad gradum Magisterij Sacræ Theologiæ, titulo Lectoratus, RR. PP. F. Ferdinandum de Quiros, & F. Ioannem de Arguinao: Ad titulum verò Prædicationis RR. PP. F. Ioannem de Silua, & F. Michaelem de Arana, huius Capituli Diffinitorem.

VII. Instituimus Præsentatos Sacræ Theologiæ, ad titulum Prædicationis, RR. PP. F. Franciscum de Figueroa, F. Blasium de Acosta, F. Franciscum de Auendaño, loco P. F. Ioannis de Silua. Ad titulum verò Cathedræ linguarum Indorum, RR. PP. F. Ioannem de Escudero, cum retentione suæ Prædicaturæ generalis; & F. Cosmum de Aramburru, cum retentione Prædicaturæ.

VIII. Instituimus Præsentatos ad titulum lecturæ, RR. PP. F. Ioannem de Grajeda, F. Antonium de Amusco, F. Ioannem de Sotomaior, F. Franciscum de Huerta, & F. Didacum de Trejo.

IX. Instituimus Prædicatores generales, titulo Prædicationis Indorum, RR. Patres F. Ioannem Baptistam, F. Rodericum de Gusman, Fr. Hyacinthum Montano, Fr. Didacum de Mexia, F. Thomam de Oballe, F. Alphonsum de Sotomaior, F. Hieronymum de la Parra, & Fr. Blasium de Contreras, pro Conuentibus sibi designandis in Capitulo prouinciali.

Concedimus P. F. Ioanni Antonio Prædicaturam generalem P. Magistri Fr. Ioannis de Silua.

Pro Prouincia S. Vincentij de Chiappa.

I. **O**rdinamus, & omnino prohibemus sub censuris, & poenis in Bullis Gregori XIII. Clementis VIII. & Pauli V. contra Fratres, qui per emendicatos fauores personarum extra nostri Ordinis obedientiam constitutarum, gratias, fauores, & officia impetrare student, ne quis Fratrum huius Prouinciæ, precibus, munëribus, vel alijs medijs quibuscumque personarum extra obedientiam Ordinis constitutarum, fauorem, vel opem implorare, iisdemque Doctrinas apud Indos, vel per se, vel per alios, obtinere studeat: nec in eisdem Doctrinis huiusmodi via obtentis perseuerare audeat, aut a Patre Prouinciali in eis perseuerare permittatur; sed ad nutum eiusdem Prouincialis, eiusque libitum, statim se nouerint tali officio priuandos.

II. Concedimus huic Prouinciæ, vt in posterum habeat quatuor Prædicatores generales, ad titulum linguarum Indorum; dummodo tamen peritiores, & perseuerantiores in tali munere præferantur, & non aliter.

III. Instituiamus, erigimusque in Studium generale huius Prouinciæ, Conuentum S. Dominici de Guatimala, cum omnibus gratijs, & priuilegijs consuetis, præcipientes P. Prouinciali præsentis, & pro tempore, vt huiusmodi Studij Moderatores ingenio, & doctrina præstantiores instituat.

IV. Promouemus ad gradum Magisterij Theologiæ, iuxta numerum isti Prouinciæ præscriptum, RR. PP. Fr. Idelsonsum Guirao, F. Ioannem de Aillon, F. Franciscum de Ceuallos, & F. Hyacinthum de Cauañas; præmisso tamen rigorofo examine iuxta ordinationes præsentis Capituli.

Item pro hac vice tantum promouemus ad Magisterium, titulo prædicationis, R. P. F. Io. Petrum à Monte Nigro, cum loco, & voce, sicut ceteri Magistri gaudent.

V. Instituiamus Præsentatos RR. PP. F. Io. Baptistam Gomez: titulo verò Prædicationis, RR. PP. F. Petrum Martyrem, & F. Bartholomæum Castellanos, præmisso rigorofo examine.

VI. Instituiamus Prædicatores generales ad titulum linguarum Indorum, P. F. Hyacinthum Quartero, cum tribus alijs pro hac vice tantum seligendis, instituendisque à P. Prouinciali vnâ cum Diffinitoribus Prouinciæ, præuio tamen rigorofo examine; & cum designatione Conuentuum.

Pro Prouincia Occitana.

I. **P**rohibemus P. Priori, seu Vicario Monasterij Pruliani, ne ei liceat assumere Fratres ex hac Prouincia absque expressa licentia, & assensu P. Prouincialis. Item ordinamus, vt iuxta nostras Constitutiones, bona Fratrum defunctorum in præfato Monasterio, fideliter Conuentibus eorundem originalibus restituantur.

II. Declaramus Conuētus Mafiliæ, Arelatæ, Caballionis, & Carpentoracti, auctoritate Apost. per Breue speciale Sanctiss. D. N. Urbani Papæ VIII. seiunctos fuisse à Prouincia Occitana, & restitutos, vnitos, atque incorporatos Prouinciæ Prouinciæ, eiusq. Prouinciali pro tempore submissos; & loco eorum, Conuentus, quos habebat Prouincia Prouinciæ in Occitania, seu vltra Rhodanũ, scilicet Alesti, Albenaci, Miglialthi, Morologij, Genoliaci, Podij, & Pratellarũ, ab eadem Prouincia Prouinciæ separatos, & isti Prouinciæ Occitanæ vnitos, aggregatos, & incorporatos, illiusq. Prouinciali pro tempore submissos. Pro cuius efficaciori executione institutus est Commissarius R. P. F. Petrus Dambrucus Inquisitor Auenionensis.

III. Et ne interim hæc Prouincia Studio generali, & Nouitiatu formato destituatur, ordinamus, vt in Conuentu Tolosano Congregationis Occitanæ recipiantur Nouitij huius Prouinciæ, post annu probationis ibidem Studio Theologiæ, vel Philosophiæ vacaturi.

IV. Concedimus huic Prouinciæ, vt in posterum suorum Conuentuum distractiones, & separationes ab obedientia Prouincialis non permittant: statuimusq. atque omnino prohibemus, ne Conuentus eiusdem subdantur Commissarijs, nisi ad præfinitum tempus duorum, vel trium mensium; quo termino elapso, negocijsque commissionis absolutis, Conuentus maneat sub ordinaria Prouincialis auctoritate, & obedientia.

V. Approbamus contractum initum inter Conuentum nostrum Massiliæ, & D. Ioannē de Esthienne Regis Christianiss. Cōsiliarium, & in supremo Aquensi Parlamento Grassarium, cū in euidentem dicti Conuentus vtilitatem per varia Capitula fuerit approbatus.

VI. Acceptamus affiliationē F. Pauli Trachet à Conuentu Diensi ad Conuentum Arelatensem, tamquam factam seruatis seruandis.

VII. Approbamus Magisteria RR. PP. F. Riccardi Bergeri, & F. Hieronymi Alberti.

VIII. Promouemus ad Magisterium Theologiæ RR. PP. F. Ludouicum Mesplede, F. Hyacinthum Forestier, F. Ioannem Guarri, & F. Ioannem Chourch, seruatis seruandis.

IX. Instituimus Baccalaureos titulo prædicationis, RR. PP. F. Ioānem de Candorle, F. Franciscum Casulam, & F. Andream Mittiè.

Pro Prouincia S. Dominici Venetiarum.

I. **O**rdinamus, & omnino prohibemus, ne Diffinitores Capituli Prouincialis eligantur in ista Prouincia per Nationes, sed ab omnibus Vocalibus totius Capituli Prouincialis; itaut nullus censeatur legitimè electus Diffinitor, nisi à maiori parte omnium Vocalium nominatus fuerit. Idem statuimus de Scrutatoribus vocum; si secus fiat, totum sit irritum & nullum.

II. Ordinamus, vt in Conuentu Patauino quatuor Studentes formales, qui pro tempore erunt ultimo loco recepti, semper teneantur exercere hebdomadariam; ita tamen vt quando alius de nouo in Studium recipitur, ille qui inter quatuor præfatos prius receptus fuerat, ab huiusmodi onere liberetur; & sic successiue fiat. Volumus tamen vt pro eo tēpore, quo dicti Studentes hebdomadariā exercebunt, teneatur dictus Conuentus eis vestimenta sicut ceteris Fratribus tribuere, quocumque priuilegio in contrarium non obstante.

III. Or-

III. Ordinamus præcipimusq. dicti Conuentus Studentibus, vt quatuor priores Missas quotidie indispenfabiliter celebrent. Qui verò recusauerint, aut super hoc contendere ausi fuerint, à Studio statim expellantur, quibuscumque priuilegijs in contrarium non obstantibus.

IV. Ordinamus, vt examini de moribus Studentium intersint Patres à consilijs, qui vna cum Patribus Moderatoribus suffragium ferant.

V. Confirmamus acta Capituli prouincialis intermedij proximè celebrati, à Magistro Ordinis recognita, & approbata; exceptis tamen ijs, quæ ad locum Magistrorum spectant: qua in re nihil omnino volumus innouari, sed ea quæ aliàs in Capitulis generalibus super hoc sancita sunt, omnino obseruari: ita nimirum, vt locus Magistrorum non ab antiquitate professionis, sed promotionis ad Magisterium desumatur; tunc præcipuè quando institutio absoluta est, & absque illa clausula, *Sine præiudicio Maiorum tuorum*.

VI. Confirmamus Decretum factum à Magistro Ordinis prædefuncto circa locum R. P. Magistri F. Francisci Cortiui, vt videlicet desumatur ab eo tempore, quo fuit institutus Regens Studij generalis Patauini, cum iam esset creatus Magister: atque adeò omnibus Magistris post dictum tempus institutis, vel instituendis, ipsum debere præcedere declaramus; non obstante maiore antiquitate professionis eorumdem, aut quòd in litteris patentibus Magisterij apposita fuerit clausula, *Sine præiudicio Maiorum tuorum*.

VII. Declaramus, Conuentum Ciuitatensem, vbi viget strictior obseruantia regularis, nullo modo ab obedientia, & potestate P. Prouincialis exemptum esse, sed ipsi subiectum; Fratresque ibi commorantes esse, censerique suos subditos, iuxta decreta Capitulorum generalium, & *glossam Constitutionum dist. 2. cap. 2. in fine*.

VIII. Concedimus Conuentui Patauino, vt possit educare Nouitios, seruatis seruandis: præcipientes Priori pro tempore, vt circa eorumdem bonam educationem summo opere inuigilet, optimumque Magistrum sibi concedi curet.

IX. Approbamus Magisterium RR. PP. F. Francisci Cortiui, huius Capituli Diffinitoris, in Capitulo Mediolanensi 1622. promoti, F. Philippi Bragadeni, F. Petri Martyris Ripæ, F. Antonini Cremonini, & F. Marci Ferro, à Magistro Ordinis prædefuncto promotorum. Item institutionem Magisterij P. F. Cypriani Philippini.

X. Promouemus ad gradum Magisterij RR. PP. F. Ioannem Bonaurigium, F. Nicolaum Vanti, F. Hippolytum Mariam Taleapetra, F. Remigium Scrofa, & F. Marinum Cerchiarium.

XI. Instituiamus Baccalaureos RR. PP. F. Ludouicū Brunum, F. Hieronymo-

ronymum Fabri, F. Antonium Bafcio, F. Dominicū Carrara, F. Alphōsum Clementi, F. Thomam Tascelū, F. Io. Baptistam Alberti, & F. Sixtū Pasquali: hac tamen lege & conditione, & nō aliter, vt omnes, & singuli prædicti Patres suo tempore officio Magistri Studentiū fungantur.

XII. Instituiamus Prædicatores generales RR. PP. F. Thomam Fontana, pro Conuentu Suauienti, & F. Martinum Milani pro Conuentu Iustinopolitano.

XIII. Damas in Regentem Studiij generalis S. Augustini de Patavio, pro consueto triennio, P. Mag. F. Martinum Cerchiarium: in Baccalaureum verò ordinariū, P. F. Ludouicum Bruni, pro duobus primis annis; & P. F. Hieronymū Fabri, pro duobus annis sequentibus. In Magistros denique Studentiū, P. F. Antonium Bafcio, pro primo anno; P. F. Dominicum Carrara, pro secundo; & P. F. Alphonsum Clementi, pro tertio.

Pro Prouincia S. Laurentij de Chile.

I. **C**Oncedimus huic Prouinciæ id quod aliàs Prouincijs de Quito, & S. Io. Baptistæ de Perù concessum fuit: scilicet, quòd si exortum fuerit aliquod dubium circa electionem Prouincialis, an sit rite, & secundum ius facta, ad euitandas rixas & scandala, Patres Magistri, & Patres Prouinciæ, & Præsentati, vna cum Diffinitoribūs, determinant, ac diffiniūt quid in huiusmodi negotio agendū sit: huiusmodi attem cōgregationi præsideat antiquior Diffinitor in professione, neque intersit eidem Prouincialis electus. Id autem quod præfati Patres in huiusmodi negotio decreuerint, pro rato habeatur, & inuiolabiliter obseruetur, donec decretum electionis ad Magistrum Ordinis transmissum fuerit, & ipse de omnibus certior factus responsum dederit.

II. Concedimus huic Prouinciæ, quod Prouinciæ de Perù concessum est: vt scilicet, titulo obtinendæ cathedræ, possint Lectores in Vniuersitate Chilensi omnes gradus vsque ad Doctoratum accipere, seruatis tamen seruandis.

III. Declaramus Decretum Apostolicum, quo statuitur, Priores Conuentuum carentium duodenario numero Fratrum, voce in Capitulis prouincialibus non gaudere, hanc Prouinciā non comprehendere, ob Indultam Apostolicam Clementis Septimi, de quo in Declarationibus Constitutionum *dist. 1. cap. 2. §. 2.*

IV. Erigimus in Prioratū Domum de la Rixa, cum omnibus gratijs, & priuilegijs consuetis: & pro hac prima vice instituiamus Priorem dicti Conuentus R. P. F. Idelfonsum Barientos.

V. Probamus, & acceptamus Magisterium RR. PP. F. Ioannis de Mon-

Montiel, in Capitulo Tolosano promoti, & F. Bartholomæi Lopez, Item Præsentaturas RR. PP. F. Balthasaris Verdugo de Valenzuela, F. Francisci de Peñalosa, & F. Laurentij Duran.

VI. Promouemus ad Magisterium, titulo Prædicationis, RR. Patres F. Martinum de Saluaterra, loco R. P. Magistri F. Francisci de Riberos, & F. Ioannem de Haumada.

VII. Instituiamus Præsentatum, titulo Prædicationis, R. P. F. Michaellem Delgado, cum retentione Prædicaturæ generalis. Item concedimus R. P. F. Ludouico de Quiruga, a Magistro Ordinis prædicationis in Præsentatum instituto, vt in Prouincia Hispaniæ pro huiusmodi gradu examinari possit.

VIII. Instituiamus Prædicatorem generalem P. F. Idelfonsum de Portesio, dispensantes cum eo super defectu vnius anni ætatis requisitæ. Item instituiamus Prædicatores generales ad titulum linguarum, pro diœcesi S. Iacobi Chilensis, F. Didacum de Santander: pro diœcesi Imperiali olim, & nunc de la Concepcion, F. Ioannem Costanzo: pro diœcesi de Tacuman, F. Dominicum Marquete: pro diœcesi Paraguaia, F. Didacum Beltran: pro diœcesi del Rio de la Plata, F. Leandrum Pessoa. Pro primo autem loco vacante, vel ad titulum linguarum, vel pro aliquo Conuentu, instituiamus Prædicatorem generalem F. Petrum de Aranguiz, pro Conuētibus sibi designandis in Capitulo prouinciali.

Pro Prouincia S. Catharinæ del Quito.

I. **O**rdinamus, vt in Conuentu de la peña de Francia, in quo viget strictior obseruantia, sint assidue duo Lectores Artium, & sacre Theologiæ, qui huiusmodi scientias diligenter profiteantur.

II. Concedimus huic Prouinciæ, vt in præfato Conuentu possint recipi & educari Nouitij seruatis seruandis.

III. Concedimus eidem Prouinciæ, vt celebrare possit octauam solemnem Sanctæ Catharinæ Martyris suæ patronæ.

IV. Promouemus ad Magisterium supra numerum consuetum R. P. F. Dominicum de S. Maria: augemusque numerum Magistrorum vsque ad septenarium: & pro tribus locis superadditis promouemus ad Magisterium RR. PP. F. Antonium Quilota, F. Franciscum Sanchez, & F. Franciscum de la Torre; dummodo habeant requisita: alias, præsens promotio suum non sortiatur effectum.

V. Instituiamus Præsentatum R. P. F. Hyacinthum Hurtado, cum retentione suæ Prædicaturæ generalis, loco R. P. Magistri F. Dominici de S. Maria. Item instituiamus Præsentatum, & Prædicatorem generalem

ralem simul, ad titulum prædicationis pro primo loco vacante, vel vacaturo, R. P. F. Hieronymum de la Torre.

VI. Augemus numerum Præsentatorum, usque ad duodenarium, quorum sex sint ad titulum prædicationis: & pro tribus locis ita concessis instituimus Præsentatos RR. PP. F. Raymundum Hurtado ad titulum prædicationis Indorum, cum retentione suæ Prædicaturæ generalis; & F. Didacum Nuñes, cum retentione suæ Prædicaturæ generalis.

VII. Statuimus, ut pro secularibus Prouincijs Indorum habeat hæc Prouincia Prædicatores generales supra numerum suorum Conuentuum, cum omnibus gratijs & priuilegijs, ut ita commodius, & propinquius in præfatis Prouincijs catholica fides propagetur.

Quamobrem instituimus, damusque Prædicatores generales supra numerum, ad titulum prædicationis Indorum, pro infra notatis Prouincijs infra scriptos Fratres: dummodo tamen Indorum idioma optimè calleant, & alijs ad huiusmodi munus sint idonei, & non aliter.

Pro Prouincia de los Quisos instituimus Prædicatores generales PP. F. Thomam Seron; & F. Idelfonsum de Marmolejo.

Pro Prouincijs de Popaian, & de Pasto Quillacingas, instituimus Prædicatores generales PP. F. Antoninum de Ortega, & F. Hieronymum Rosero, qui cum retentione huius Prædicaturæ generalis possit habere Præsentaturam sibi a Magistro Ordinis prædefuncto pro loco actu vacante concessam.

Pro Prouincijs de Quito, Otualo, & Garangui, Quenia, & Loxa, instituimus Prædicatores generales PP. F. Hieronymum de Vargas, F. Gasparum de Lara, & F. Ioannem de Erausia. Præfatis verò Prædicatoribus omnino iniungimus, & præcipimus, ut Cathecismus Romanum, ea breuitate qua poterunt in maternas linguas transferant, in quo Indos ad fidem conuertendos, instruere omnino teneantur. Dictos etiam Prædicatores in Domino monemus, ut imposito sibi officio, & honore collato non in proprium commodum abutantur, sed in conuersionem Indorum ad Catholicam fidem. Hortamur præterea R. Adm. P. Prouincialem pro tempore, ipsique mandamus, ut Reuerendissimum Patrem Generalem, & Sacram Congregationem de propaganda fide, de profectu & fructu huiusmodi Prædicatorum exactè certiore faciant. Demum curent omnino, ut maternis linguis præfatarum Prouinciarum diligenter studeant, adhibitis etiam si opus fuerit, super hoc præceptoribus; ut qui illas calluerint, pro locis vacantibus possint à Prouincia postulari.

VIII. Damus omnem auctoritatem Magistro Ordinis, ut iuxta petitionem Patris Diffinitoris possit ordinare, & stabilire omnia & singula

singula, quæ ad pacem & quietem, & augmentum Religionis in hac Prouincia iudicauerit expedire.

Pro Prouincia Sanctiss. Rosarij Philippinarum.

I. **A**dmonemus A. R. P. Prouincialem, & in Domino hortamur, vt nostræ professionis memor, quemadmodum in alijs Capitulis Generalibus ei iniunctum est, sanctissimum opus missionis Fratrum ad prædicandam, propagandamq. fidem Catholicam in Regnum Chinæ, & Iapponicum, ceteraq. eisdem proxima Regna Gentilium, non intermittat; sed eas singulis annis omnino prosequatur, ac de fructu actisque Fratrum, qui ad huiusmodi Apostolicum munus exequendum eò mittuntur, singulis annis Magistrum Ordinis certiorrem faciat.

II. Eidem Prouinciali summoperè iniungimus, vt in conseruanda, & amplificanda arctiori huius Prouinciæ obseruantia inuigilet.

III. Confirmamus ordinationes sæpè factas, vt in alijs Prouincijs Indiarum nullo modo recipi possint Fratres ad hanc Prouinciã destinati, absque expressa licentia in scriptis Vicarij Ducoris eorum ad huiusmodi Prouincias: Præcipientes omnibus tam Prouincialibus, quàm Vicarijs Prouinciarum, Prioribusque, ac Præsidentibus Conuentuum, in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, sub præcepto formali, & sub pena absolutionis ab eorum officijs ipso facto incurrenda, vt huic ordinationi omnino obediant.

IV. Ne Fratres huius Prouinciæ diu sine capite legitimo mancant, concedimus Vicarijs Nationum eiusdem Prouinciæ, vt eorum auctoritas vsque ad publicationem actorum Capituli prouincialis, in fine suorum officiorum celebrati, perseveret; dummodo huiusmodi acta in aliqua domorum Nationis illius respectiue publicentur.

Pro Prouincia S. Petri Martyris.

I. **D**Enunciamus sacram Congregationem Regularium die xxij. Decembris 1628. decreuisse in hac Prouincia numerum Magistrorum fore duodenarium, & Baccalaureorum sim litter; Prædicatorum verò generalium octonarium; qui numeri excedi nequeant. Item, vt Magistri, & Baccalaurei non admittantur, nisi prius in Studio generali S. Eustorgij, Regentis vel Baccalaurei munus debito tēpore exercuerint: nec Baccalaurei instituantur, qui Magistri Studentium munere perfuncti non fuerint: neque Prædicatores generales creentur, qui per
decem

decem Quadragesimas quotidie in Ciuitatibus, seu amplis Terris non prædicauerint. Item, ne graduandorum petitiones à solo Diffinitorio prouinciali, sed à Magistris, & Patribus Prouinciæ per vota secreta fiant.

II. Ordinamus, vt Studentes exterarum Prouinciarum, tempore sui Studij durante, voce actiua non gaudeant; nec in Studium recipiantur aliquis, qui eodem anno in Conuentu S. Eustorgij Priorem, aut socium Prioris pro Capitulo prouinciali elegerit.

III. Ordinamus, vt in Studio generali S. Eustorgij numerus Studentium formalium sit duodenarius; ex quibus quatuor sint ex ista Prouincia, & octo externarum Prouinciarum. Quibus Conuentus indifferenter necessaria tribuere teneatur, sicut ceteris Fratribus assignatis, vestitu excepto, de quo à Conuentibus suis originalibus prouidebitur. Volumus autem, & declaramus, vt singuli præfati Studentes successiue quater in anno hebdomadariam exerceant.

IV. Concedimus P. F. Petro Martyri Modonò licentiam affiliationis à Conuentu S. Eustorgij, ad Conuentum S. Dominici de Dertona.

V. Confirmamus affiliationem P. F. Petri Martyris de Hortono uo a Conuentu S. Dominici de Bonifacio, ad Conuentum S. Dominici de Dertona.

VI. Acceptamus, seruatis seruandis, Monasteriū Monialium S. Thomæ pro nostro Ordine, ædificandum Albengæ ex legato D. Ioannis Mariæ Oddi, cum annuo reddito scutorum duorū millium: item Conuentum ædificandum in loco Peleti, ex donatione D. Cæsaris Valdemoni, dummodo assignentur redditus pro sustentatione duodecim Fratrum.

VII. Promouemus ad gradum Magisterij, saluis iuribus suæ Prouinciæ, & inuiolabili obseruantia decreti supra denunciati, & non aliter, RR. PP. F. Simonem de Florano, F. Conradum Imbonatum, F. Honophrium Rosam, F. Humbertum Taparellum, F. Clementem Bartolinum, F. Cyprianum Binnium, F. Thomam Bogettum, F. Vincentium Salmoiragum, & F. Franciscum Mariam de Mediolano; dummodo hi duo postremi à RR. Patribus Examinatoribus à nobis Romæ deputatis examinentur, & approbentur.

VIII. Instituimus Baccalaureos, saluis iuribus, & decreto, vt supra, PP. F. Vincentium Bonellum, & F. Alexandrum Caudam.

IX. Instituimus Prædicatores generales pro primo, secundo, & tertio loco, salua inter eos professionis præcedentia, & absque priuilegijs, ac titulo, quoad vsque loca realiter pro singulis vacauerint, RR. PP. F. Dominicum Cislalum, F. Hyacinthum Mocham, & F. Iosephum Mariam Sortitium, seruatis etiam seruandis in designatione Conuentum, pro quibus instituti intelligantur, & in quibus uiuant, & non aliter.

X. Ab-

X. Absoluiumus ab officio Prioratus Conuentus Cherienfis, & abfolutum declaramus R. P. F. Baptiftam Ferrerium .

Pro Prouincia S. Catharinæ Senenfis.

I. **A**D concordiam, & pacem inter Fratres ftabiliendam, auctori-
tate Apostolica ordinamus, decernimus ac ftatuimus, vt per-
petuis futuris temporibus fiat in officio Prouincialatus Alternatiua ex
tribus Nationibus, Neapolitana, Aprutina, & Etrufca: ex quibus al-
ternatim femper Prouinciales eligantur, ita vt ex eadem Natione bis
Prouincialis immediate eligi non poffit: & fi fecus factum fuerit, to-
tum fit irritum & inane .

II. Ordinamus, vt numerus Studentium formalium in generali Stu-
dio S. Mariæ ab Arcu, fit tantum duodenarius ex filiis huius Prouinciæ;
ex filiis vero externarum Prouinciarum octo ad minus in eo recipiantur.

III. Acceptamus pro ifta Prouincia Conuentum Guardix Cala-
briæ, & Conuentum Præfentiani, iam acceptatos in Capitulo prouin-
ciali, dummodo poffint actu alere duodecim Fratres, & non aliter .

IV. Committimus Magiftro Ordinis, vt præfato Studio de Mo-
deratoribus prouideat .

V. Designamus pro ftictiori regulari obferuantia Conuentum,
S. Dominici de Aquila, iuxta præfcriptum gloffæ noftrarum Conftitu-
tionum *diſt. 2. cap. 2. in fine* .

VI. Promouemus ad gradum Magifterij RR. PP. F. Dominicum
Porcinarum, F. Philippum de Paulinis, & F. Hyacinthum Scala, faluis
fuæ Prouinciæ iuribus ,

VII. Acceptamus Magifteria cum loco, & voce, RR. PP. F. Ignatij
Terraciani, F. Michaelis de Marchis, & F. Bernardini Cutilli .

VIII. Item acceptamus Prædicaturam generalem cum voce, F. Vin-
centij Mariæ S. Felicis .

IX. Inftituimus Prædicatores generales pro Conuentibus ſibi à Ca-
pitulo prouinciali designandis, RR. PP. F. Vincentium Galaffum, F. Tho-
mam Gallum, F. Ioannem Molinarium, F. Alexandrum Aglionum,
F. Dionyſium de Amatrice, F. Antoninum Scorpionem, F. Hyacinthum
Pierium, F. Felicem de Ancarano, F. Paulum Boſſium, F. Martinum
Zei, F. Saluatorem Riccium, & F. Hyacinthum Iottum; dummodo
tamen non gaudeant voce, neque alijs priuilegijs quibuſcunque,
quouſque non fuerint numerarij; ita vt antiquiores in profeſſione ſem-
per præcedant, & in Conuentibus à Capitulo prouinciali designandis
ſteterint .

Pro Prouincia Russiæ.

I. **O**rdinamus, vt Prouincialis pro tempore electus, immediatè post suam electionem regat Prouinciã tamquam Vicarius generalis; & ab ipso electionis die, sui officij tempus incipiat: Volentes vt quæcunque per ipsum ante confirmationem iuxta nostras Constitutiones acta fuerint, rata & firma omnino maneant, iuxta consuetum aliarum Prouinciarum huiusmodi priuilegio gaudentium.

II. Ordinamus Patri Prouinciali pro tempore, ne Lectores actum legentes, eorumque discipulos, in alio Conuentu assignet, quousque cursum Philosophiæ, vel Theologiæ absoluerint. Si secus fiat extra euidentem necessitatis casum, assignatio nulla omnino sit.

III. Ordinamus, vt Philosophicus cursus triennio, & Theologicus quadriennio persoluatur; quo absoluto, Lectores eorundem sint & intelligantur suo munere, suoque iure perfuncti.

IV. Concedimus huic Prouinciæ, vt socius P. Prouincialis pro tempore gaudeat titulo, locoque tantum Prioris Rubei castri, donec huiusmodi Conuentus dirutus reædificetur.

V. Acceptamus, & erigimus in Conuentus loca nuper recepta, nempe in Czarnuber, in Ostrocoko, in Stolpecz, in Honogrodech Seuerienfi, in Houogrodel Lituaniæ; dummodo possint alere duodecim Fratres, & non aliter.

VI. Promouemus ad gradû Magisterij R.P.F. Erasmi de Luceoria.

VII. Instituimus Baccalaureos RR. PP. F. Petrum de Vilna, F. Simonem de Camenecia, F. Modestum de Camenecia, F. Thomam de Mosticia, F. Dionysium Samotulij, & F. Franciscum de Petricouia.

VIII. Instituimus Prædicatores generales RR. PP. F. Adalbertum de Leopoli, F. Adamum de Tahore, F. Andream de Leopoli, F. Raymundum de Mosticia, F. Hilarium de Busko, F. Ludouicû Hancozosi, F. Bernardum de Varecia, & F. Paulum Prædicatorem Constantinopolitanum, pro Conuentibus sibi à Capitulo prouinciali designandis.

IX. Damus in Regentem nostri Studij generalis Leopoliensis R.P. Magistrum F. Symphorianum de Scyrzec; in Baccalaureum F. Nicolaum de Kryczoi; pro primo biennio; pro secundo verò F. Simonem de Camenecia; & in Magistrum Studentium pro primo anno 1629. F. Franciscum de Petricouia; pro 1630. F. Petrum de Vilna; & pro 1631. F. Bartholomæum de Roatino.

X. Assignamus in Studio generali Bononiensi pro rata suæ Prouinciæ, F. Chrysostomum de Leopoli, & F. Ferdinandum de Potzoua; in Studio Patauino F. Octauianum de Roatino pro primo loco vacante;

in Stu-

in Studio S. Eustorgij F. Nicodemum de Possocia, F. Gasparum de Roatino; in Studio generali Querquensi F. Gabrielem Despoth .

XI. Confirmamus in Prouincialem huius Prouinciæ R. P. Magistrum F. Cælestinum Despoth .

Pro Congregatione Gallicana .

I. **O**rdinamus pro Studio Parisiensi, præscribimusque triennium Studentibus pro Philosophico cursu, & sexennium pro Theologico à Sacerdotio . Quo termino expleto, à Conuentu Parisiensi sint & intelligantur omnino remoti & exclusi; nisi forte ad Lecturam Artium, vel Sententiarum promoti fuerint, absque exclusione tamen promotionis tempore congruo . Magistris verò Regentibus triennium pro vniuscuiusque Lectura statuimus .

II. Item ordinamus in eodem Studio, vt antequam Studentes formales declarentur, post responsionem de Aulica fiat Scrutinium eorundem, & per vota secreta à Patribus à consilijs approbentur : & semel reiecti ad Lecturam Artium, aut Sententiarum, in quacunque facultate promoueri non possint .

III. Indulgemus, & ex speciali gratia concedimus pro hac vice tantum omnibus Magistris, qui hucusque absque licentia Reuerendis. Magistri Ordinis ad Magisterium promoti sunt, vt voce & priuilegijs Religionis gaudere possint; absoluentes eos ab omnibus censuris, & suppletes pro hac vice tantum omnes defectus, dummodo à Magistro Ordinis literas patentes promotionis ad Magisterium obtinuerint . In posterum verò nullus audeat promoueri, nec attentare promotionem siue ad Magisterium, siue ad Baccalaureatum, vel Licentiaturam, nisi prius à Reuerendis. Magistro Ordinis promotionem, & facultatem, obtinuerit, & examini riguroso se se prius subiecerit : aliàs, quæcunque promotio istis non seruatis facta, nulla & inanis omnino sit . Nolumus verò huiusmodi Magistros, sub prætextu Magisterij, vltà ratione à secula Chori diu noctuque exemptos esse, nisi actu legant, aut conciquentur . Quæ indulgentia, concessio, & ordinatio respectiue etiam extenditur, & statuitur pro Prouincia Franciæ .

IV. Committimus Reuerendis. Magistro Ordinis, vt si sibi videbitur, possit erigere in Prouinciam Congregationem Gallicanam .

V. Acceptamus Magisteria Doctorum Facultatis Parisiensis, promotorum à Reuerendis. P. Generali prædefuncto .

VI. Promouemus ad Magisterium RR. PP. F. Stephanum Laldi F. Christophorum Emerij, & F. Ioannem Theslephori .

VII. Instituimus Prædicatores generales RR. PP. F. Petrum Georgiæ,

giæ, & F. Renatum Ferduau, pro Conuentibus sibi à Capitulo provinciali designandis.

VIII. Restituimus ad gratias Ordinis P. F. Petrum Pelletier, excepta tamen voce passiuâ.

Pro Congregatione Ragusina.

I. **O**rdinamus, vt Fratres inquieti & seditiosi carcerali custodia mancipentur, nec inde extrahantur nisi per Reuerendissimum Magistrum Ordinis, vel Capitulum generale, aut Congregationis, constito prius de morum eorundem mutatione.

II. Confirmamus Decretum à Magistro Ordinis, dū Vicarij Apostolice munere fungeretur, editū pro pace, & quiete nostræ Congregationis, & iam executioni mandatū, de remouendo ab ipsa P. F. Daniele à Canali.

III. Committimus, damusq. nostram plenariâ auctoritatem Magistro Ordinis, augendi, confirmandi, & declarandi priuilegia omnia à suis Predecessoribus pro bono regimine huius Congregationis eidem concessa.

IV. Acceptamus locum Annunciationis B. Virginis à Reuerendissimo Domino Episcopo Sarsina ædificandum, seruatis seruandis.

V. Cōcedimus, vt festum S. Vincentij Ferrerij in oppido Breui celebrari possit Dominica prima post octauas Paschatis. Item vt festum sanctarum Reliquiarum in Ecclesia nostra S. Dominici de Ragusio conditarum, sub titulo plurimorum Martyrum celebrari possit sub toto duplici, mense & die à Patribus Conuentus statuendis. Item, vt festum S. Blasij Martyris celebretur sub toto duplici cū memoria infra octauas.

VI. Promouemus ad Magisteriū R. P. F. Chrysostomū Ragusinum.

VII. Assignamus in nostro Studio Bononiensi in Studentem formalem Fr. Hieronymum Bona, pro primo loco vacante.

Pro Cōgregatione Occitana, deinceps S. Ludouici.

I. **I**nstante Christianissimo Rege Ludouico XIII. statuimus, vt post hac perpetuis futuris temporibus Congregatio Occitana titulo ac nomine Cōgregationis S. Ludouici insignita sit, eodēq. in omnibus nominetur. Atque ipsam, quatenus opus sit, in possessione, ac iurisdictione omnium Conuentuum ei hactenus vnitorū, & subiectorum, auctoritate Apostolica confirmamus; videlicet Tolosani, S. Maximini, S. Mariæ Annuntiæ, Parisiensis, Burdegalensis, Auenionensis, Mompeliensis, Clarimontensis, Valentini, Biterrensis, Albienensis, Lemouicēsis, Nemausensis, Castrensis, Montalbanēsis, Rupellensis, S. Thomæ de Mesnilgenier, Tullensis, & Blainuille: vt in ipsis, tamquam ad strictiorem obser-

obseruantia destinatis, Constitutiones Ordinis ad vnguem obseruetur; nec in eis fiat dispensatio aliqua in ieiunijs & abstinentijs, nisi ob actua-
lem infirmitatem; vt ordinatum fuit in Capitulo Vallisoleti 1605.

II. Concedimus R.P. Vicario huius Congregationis, vt pro imple-
dis quatuor Vniuersitatum Cathedris, ad quas Conuentus Tolosanus,
Auenionensis, Burdegalensis, & Valentinus habent ius, exponere va-
leat totidem Patres idoneos; qui in illis Vniuersitatibus gradum Do-
ctoratus suscipient, absque vllis tamen priuilegijs in Ordine.

III. Ordinamus, vt nullus ad Prædicationis officium assumatur,
nisi per quatuor annos Theologicis studijs operam dederit, & præuio
rigoroso examine approbatus fuerit. Idemque omnino obseruari vo-
lumus in Confessarijs sæcularium instituendis, & admittendis.

IV. Ordinamus, vt huius Congregationis Fratres curam ordina-
riam audiendi confessionem Monialium nullo modo suscipiant.

V. Ordinamus, vt Fratres Conuersi, etiam post duos annos à pro-
fessione, Magistro ad id specialiter deputato, in morum institutione,
Religionis obseruantia, & correctione subsint.

VI. Concedimus eiusdem Congregationis Vicario, vt in primo sui
Vicariatus anno, opportuno tempore conuocare possit Capitulum,
iuxta formam in *Constitutionibus de Capitulo prouinciali* præscriptam,
ad vniformitatem obseruantia Regularis, pietatis ac studiorum aug-
mentum, pacisque & charitatis mutua inter Fratres fomentum. Item
statuimus, vt in dicto Capitulo Vicarius præcedens reddat rationem
sua administrationis coram Patre Vicario successore, ac Diffinitori-
bus. Item volumus, vt in eodem Capitulo fiant petitiones Congrega-
tionis pro Capitulo Generali. Ac demum tres Patres ex præcipuis,
quos secundum Deum & conscientiam, ad officium Vicariatus eiusdem
Congregationis proximè futurum magis idoneos iudicauerint, nomi-
nent; eamque nominationem Magistro Ordinis opportunè transmit-
tant, vt si ipsi videbitur, aliquem ex nominatis instituat.

VII. Auctoritate Apostolica concedimus, vt non obstante Consti-
tutione Iulij II. *de triennali duratione Vicariorum Congregationum*, Vi-
carius istius Congregationis in officio perseueret, donec eius successor
à Magistro Ordinis institutus, & confirmatus fuerit, ac præsens in Co-
gregatione extiterit. Quod si ipsum intra suum triennium mori, vel amo-
ueri contigerit, Prior illius Conuentus, in quo proximum Capitulum
Congregationis designatum fuerit, ipso facto vices eius plenarie gerat.

VIII. Concedimus, vt in omnibus huius Congregationis Conuen-
tibus festum Sancti Gabrielis Archangeli celebrari possit xxvij. Mare-
tij, sub toto duplici.

Denique confirmamus omnes gratias, & priuilegia huic Congregationi in alijs Capitulis generalibus concessa.

Pro Congregatione Sardinie.

I. **C**ommittimus Reuerendissimo Patri Magistro Ordinis, vt possit erigere in Prouinciam hanc Congregationem, dummodo id expediens ab ipso iudicetur.

II. Acceptamus Conuentus Rosarij Ciuitatis Safferi, & S. Domini de Oristan, dummodo habeant redditus pro alendis duodecim Fratribus, & non aliter.

III. Promouemus ad Præsenturam R.P.F. Hieronymum Contena.

Pro Congregatione Sanitatis.

I. **O**rdinamus, vt in posterum numerus Magistrorum huius Congregationis sit tantum duodenarius, Lectorum verò actuum ternarius, excludendo Moderatores in Conuentibus Sanitatis, & Sancti Spiritus: in Conuentibus verò Vesuuij, & Argentij binarius: in ceteris verò Conuentibus vnicus tantum sit Lector. Quod si secus factum fuerit, Lectores talem numerum excedentes à sequela Chori non sint exempti, nec vllis priuilegijs gaudeant.

II. Statuimus in Conuentu Sanitatis numerum Studentium denarium; in Conuentu Sancti Spiritus octonarium. Hi verò Studentes sint à Choro diebus ferialibus pro medietate dispensati; numquam tamen a Missa maiori & Completorio.

III. Ordinamus, & omnino prohibemus cuicumque Patri huius Congregationis, qui Vicarius generalis eiusdem fuerit, ne in posterum cōpleto suo officio, alio loco altiori quàm suæ professionis vel gradus, si illum habuerit, frui, aut potiri audeat, sub pœna priuationis vtriusque vocis, quacumque consuetudine in contrarium non obstante.

Pro Congregatione Stirie, & Carinthie.

I. **O**rdinamus, vt hæc Congregatio nullo modo teneatur ad dandum viaticum Studentibus externarum Prouinciarum ad ipsam venientibus, si non permanferint in hac Congregatione per integrum triennium.

II. Concedimus quantum in nobis est, vt Patres, qui actu Priores sunt in aliquibus Conuentibus, possint in alijs eligi.

III. Promouemus ad Magisterium sacre Theologiæ R. P. Fr. Io. Baptistam de Salutis huius Congregationis Vicarium, saluis tamen iuribus suæ Prouinciæ Lombardiæ.

FRATRES, ET SORORES, qui referentibus Patribus Diffinitori- bus, sanctè & gloriosè obierunt.

In Prouincia vtriusque Lombardiæ.



LGVBI Obijt Soror Octauia Gambocia, Tertij Ordinis, quæ ab ipsa infantia vsque ad xxxij. ætatis annum magnæ Sanctitatis indicia dedit: cuius corpus post quatuor annos à suo obitu, integrum, & incorruptum, ac suauissimè redolens reperi-
tum est, & ab Eugubino populo vt Sancta com-
muniter colitur; cuius etiam ope quamplurimas
gratias se in dies obtinere gloriatur.

In Prouincia Regni.

Objt Venerabilis P.F. Simplicianus de Sicignano, qui in summæ simplicitatis Christianæ cādore, & regulari obseruantia, omniūq. virtutū cultu perpetuò vixit: Virginitatis florem vsque ad mortem il-
lesum seruauit. Ad cuius corporis venerationē magna populi frequen-
tia conuenit; eiusque vestibis infirmis applicatis salus est restituta.

Item obijt Soror Catharina Capocefala, Monialis S. Catharinæ de Neapoli, prophetico lumine donata: cuius vitæ cursum sanctissimè peractum, mors sæcunda prodigijs illustriorem reddidit, corpore per quinque dies insepulto, & suauissimè redolente.

Item obijt Soror Petronilla Vela, Tertij Ordinis: quæ ab infan-
tia, singulari erga infirmos, præcipuè incurabiles, charitate flagrans,
eorum plagas lambendo sanabat. In ieiunijs, vigilijs, & orationibus
assidujs, ferreæque catenæ disciplinis exercitata, etiam Christi Domi-
ni, S. Thomæ Aquinatis, ac S. Vrsulæ visibili præsentia decorata, sum-
mam de se sanctitatis opinionem reliquit.

In Prouincia Aragoniæ.

Objt Albarazimi Reuerendiss. D. F. Hieronymus Baptista de la
Nuza, Episcopus Barbastrensis, & Albarazinenensis, filius Con-
uentus Valentini: qui in omni vita sua Constitutiones Ordinis ad vn-
guem

guem seruauit, ieiunijs, catenisque ferreis carnem macerauit, orationi, & sacre lectioni quotidie vacauit: prophetico spiritu clauit, secreta cordium, multorumque statum in Purgatorio, egressumque ab eo cognouit. Dono sapientiæ, & intellectus, in sacris præcipue scripturis exponendis diuinitus, S. Ludouici Bertrandi eius Magistri testimonio, eximie præditus fuit. Quod eius opera præclare demonstrant, quinquaginta annis in prædicationis munere consumptis. Non semel facie splendidus apparuit: paupertatem in Episcopatu summopere coluit, omnibus suis bonis usque ad proprium lectum pauperibus erogatis, Sanctorum Episcoporum æmulator. Ab omni lætali labe immunis, Confessario teste, septuagenarius in magna sanctitatis opinione ex hac luce migravit.

- Item obiit Oriolæ Reuerendiss. D. F. Andreas Balaguer, præfati Conuentus filius, Albarazinenfis primùm, deinde Oriolanus Episcopus, disciplinæ regularis obseruantissimus, vigilijs, ieiunijs, ac orationibus perpetuò addictus; adeoque pauperibus affectus, vt domestica Episcopatus ornamenta, & cetera quæcumque in dies comparabat, pauperibus largiretur. Diem, hora, nque obitus sui prædixit, mortemque non minus sanctè quàm hilariter aspexit.

In Conuentu de Xatiua Regni Valentia, obiit F. Hyacinthus de S. Martino: qui ab ipsa fermè iuuentute, vt ingenio, & doctrina, ita & vitæ integritate, morumque probitate, ac deuotione præfulsit, maximumque sanctitatis specimen de se reliquit.

Obiit in Collegio Oriolano nostri Ordinis, Fr. Didacus Thomas Collegialis, pietate, ac deuotione insignis: qui in suprema infirmitate constitutus, Matutinis Natalis Domini interesse prout exoptabat, non valens, diuino fauore in sinistra lecti parte totum diuinæ Natiuitatis mysterium proprijs oculis intueri meruit; ac in supremo vitæ suæ termino Beatiss. Virginem sibi assistentē Fratribus adstantibus declarauit.

Obiit etiam in Monasterio S. Lucæ Oriolensis, Soror Hieronyma Fernandez, conuersa, summæ pietatis, charitatis, ac singulariter meditationum spiritualium assiduo exercitio illustris: cuius ante actæ vitæ, & beatæ mortis testimonium satis exploratum dedit odor suauissimus, quo totum Monasterium, eiusque cella, per mensem integrum summa omnium admiratione fragrauit.

Item obiit in eodem Monasterio Soror Dorothea Boatio: cuius vitæ innocentiam ab omni mortali labe immunem eius Confessarius testatus est. Huic in mortis articulo Christum in figura Agni apparuisse, Monialibus adstantibus ipsamet significauit.

In eadem vrbe Oriolana obiit Soror Elisabeth Gonsalua Tertij Ordinis

dinis nostri : quæ ieiunijs , catena , cruceque ferrea carnem toto vitæ tempore afflixit . Demum assiduis tentationibus diuexata , prophetico spiritu donata , vitam beatissimè peregit .

Item obiit ibidem Soror Margarita Ruiz Tertij Ordinis ; quæ ad supremam vitæ perfectionē aspirans, assiduis meditationibus, vitæ austeritate & humilitate summopere excelluit, & spiritu prophetico prædicta, in summa omnium veneratione in vita, & post mortem habita est.

Item obiit Soror Elisabeth Mires, eiusdem tertij Ordinis: cui ob insignem vitæ religiosæ probitatem multas Deus gratias largitus est : futuris prophetice reuelatis, ac vitæ necessarijs diuinitus sepius collatis, Sanctorumq. sibi apparentium visitatione , Reliquijsque illustrata est .

Item obiit ibidem Soror Spes Lopez, eiusdem Tertij Ordinis , quæ diuinitus legere , ac scribere , diuinumque officium persolvere , & intelligere meruit . Charitate erga Deum & proximos pauperes , & infirmos summa pollebat ; & maxima de suæ sanctitatis opinione apud populum excitata , diem clausit extremum .

Item obiit ibidem Soror Angela Gutierrez, eiusdem Tertij Ordinis: quæ post vitam in Christianarum virtutum cultu transactâ, Angelorum stipata comitatu, cælum se petere deuotæ cuidam semina reuelauit .

Obiit ibidem Soror Elisabeth Ruiz eiusdem Tertij Ordinis: quæ suis illustrissimis natalibus , Christianæ vitæ perfectionem animiq. purissimum candorem adiunxit ; adeo vt Sancti Thomæ Aquinatis familiari & frequenti colloquio uti meruerit; cuius etiam Sancti consilio multa ad suam vitam, reique familiaris administrationem perfecit. Ac tandem in summa totius populi sanctitatis opinione decessit .

Obierunt Valentia Soror Margarita Bleda, virgo in cælestium contemplatione , corporis afflictatione , & in dæmones victorijs illustris , Sanctæque Catharinæ Senensis imitatrix . Item Soror Angela Claramunt vidua , Diuinorum intelligentia , cordis simplicitate , patientia, & afflictorum commiseratione insignis .

In Prouincia Portugallia .

FRater Ioannes de Portugal , ex familia Comitum de Vimioso Episcopus Visei, vita in Religione, & in Episcopatu religiosissime ducta, maximam in sui obitu sanctitatis de se famam excitauit, & ex eius corpore suauissimus odor manauit .

Item Soror Elisabeth de Spiritu sancto , tertij Ordinis professa, post vitam sanctissimè peractam obiit cum opinione sanctitatis .

In Prouincia Germaniæ Inferioris.

DVaci in Monasterio S. Catharinæ Senensis obiit Soror Ioanna de Sancta Catharina, omni virtutum genere illustris, & summam sanctitatis opinionem de se reliquit.

In Prouincia Peruana.

FRater Vincentius Vertiedo Sacerdos senio confectus, virginitate, abstinentia, & in sanandis infirmis gratia, propheticoque lumine insignis: claruit in Conuentu Sancti Rosarij de Lima.

Frater Bartholomæus Martinez Sacerdos, Apostolicus Cöcionator, in Conuentu de Lima religiosi virtutibus clarus, & Monasticæ austeritatis zelator; post multos labores, ac pœnitentias pro religione, & salute proximorum susceptas, cum sanctitatis fama obiit.

In Prouincia S. Catharinæ Martyris del Quito.

FRater Petrus Bedon Magister, religiosæ obseruantix custos, & zelator, Sanctissimi Rosarij promotor; summaque in Beatam Virginem pietate clarus, virtutibus omnibus ornatus obiit.

Frater Hieronymus de Mendoza Sacerdos, post longum virtutum Christianarum exercitum, senio confectus obiit cum fama sanctitatis, Fr. Christophorus de Pardabè, virtutum omnium luminibus effulsit. & post mortem summa fidelium deuotione tamquam Sanctus colitur.

In Prouincia S. Petri Martyris.

Pater F. Ambrosius de Mantua in strictiori obseruantia totam vitam duxit, sanitatem infirmis restituit; & post mortem à populo inter cælites habetur.

P. F. Hyacinthus de Borgis, humilitate & mansuetudine insignis, in articulo mortis sibi apparuisse Sanctissimum Patrem nostrum Dominicum, eique de sua salute spem maximam dedisse testatus est: quem obdormisse in Domino summus odor, & integritas corporis, populi concursus, & gratiæ fidelibus collatæ demonstrant.

In Prouincia Sanctissimi Rosarij Philippinarum.

Occisus est pro Christo Domino, & promulgatione Sancti Evangelij, R. P. F. Ludouicus Exare Beltran, cum alijs nouem Religiosis Iaponibus professis nostri Ordinis, anno Domini 1527.

In Con-

In Congregatione Occitana.

A Pud S. Maximinum in Conuentu B. Mariæ Magdalena obiit Pater Fr. Petrus Fornesius septuagenarius : qui postquam per viginti annos in asperiori pœnitentia ibidem se exercuit, in Ecclesia ante Sanctæ Mariæ Magdalena reliquias in oratione pernoctans, ieiunij in pane & aqua, omni feria sexta, insuper & catena ferrea, ac disciplinis frequentibus carnem domitans, maximam de sese sanctitatis opinionem reliquit.

In Conuentu Auenionensi obiit Pater Frater Antonius Gontardus per triginta quinque annos obseruantia regularis ad vnguem tenacissimus ; puritatis zelo præcellens Angelo Custodi adeò familiaris erat, vt ab eo noctu ad orationem excitaretur, atque per diem ad virtutum præxim incitaretur : cuius sanctitatis existimationem, populi ad ipsius tumultum confluentis, & vestium particulas præscindentis deuotio comprobauit.

In Congregatione Indiarum Orientalium.

IN Insulis de Solor ab hostibus fidei interfectus R. P. F. Augustinus de Magdalena, gloriôsè martyrium consummauit.

Suffragia pro Viuis.

PRO Sanctissimo Domino Nostro Vrbano VIII. & felici statu sanctæ Matris Ecclesiæ, quilibet Sacerdos vnam Missam.

Pro Augustissimo Imperatore Ferdinando, & felici statu Romani Imperij, quilibet Sacerdos vnam Missam.

Pro Christianissimo Francorum Rege, & Reginis Vxore & Matre, quilibet Sacerdos vnam Missam.

Pro Catholico Hispaniarum Rege Philippo, & Regina, quilibet Sacerdos vnam Missam.

Pro Serenissimo Rege Polonia, quilibet Sacerdos vnam Missam.

Pro Illustrissimo & Reuerendissimo Domino D. Cardinali Burghesio Nostri Ordinis Protectore, q. s. v. m.

Pro Illustrissimo & Reuerendissimo Domino D. Cardinali de Araceli, ex Ordine nostro assumpto, q. s. v. m.

Pro Illustrissimo & Reuerendissimo Domino D. Cardinali de Cremona, ex Ordine nostro assumpto, q. s. v. m.

Pro

Pro Collegio Illustrissimorum & Reuerendissimorum Dominorum
Cardinalium S. R. E. quilibet Sacerdos vnâ Missam.

Pro omnibus Prælatiſ ex Ordine nostro assumptis, q. s. v. m.

Pro Illustri Domino D. Ioanne Du Tillet Barone de la Buiffiere, inſi-
gni benefactore nostri Ordinis, q. s. v. m.

Pro omnibus Benefactoribus, qui contulerunt eleemosynas huic no-
stro Capitulo, q. s. v. m.

Pro bono statu totius Ordinis nostri, & eius Capite Reuerendissimo
Magistro Generali, & in eius societate laborantibus, q. s. v. m.

Vbi Patribus Sacerdotibus vna Missa, Clericis Litaniz, Conuersis ve-
rò decies Pater noster, & Ave Maria imponuntur.

Suffragia pro Defunctis.

Pro animabus bonæ memoriæ Illustrissimorum & Reuerendissimo-
rum Dominorum Cardinalium Vrsini, & Iustiniani, ex Ordine
nostro assumptorum, qui perpetuas eleemosynas Capit. Gener. in
suis testamentis reliquerunt, quilibet Sacerdos vnâ Missam.

Pro anima Reuerendissimi Generalis Fr. Seraphini Sicci Papiensis, qui
per sexdecim annos Ordinem nostrum iustitia & æquitate mode-
ratus est, quilibet Sacerdos vnâ Missam.

Pro animabus Fratrum, & Sororum Ordinis nostri, qui à tempore
Capituli Generalis proximè præteriti obierunt, q. s. v. m.

Pro animabus omnium Benefactorum Ordinis nostri, q. s. v. m.

Vbi Patribus Sacerdotibus vna Missa, Clericis Officium Defunctorum,
Conuersis verò Rosarium imponitur.

Indicimus ac designamus sequens Capitulum Generale, quod erit
Prouincialium, anno MDCXXXII. celebrandum in Prouincia
Batice, in Conuentu S. Pauli Hispalensi, vel vbi Reuerendissimo
Magistro Ordinis placuerit.

Quoniam præsentium Actorum impressio dilata est ad hæc vsque tempora,
quibus assumptus est ad Episcopatum Catacenſem Adm. R. P. Magister
F. Lucas Castellinus Procurator generalis Ordinis; significatur omnibus, à Re-
uerendissimo Magistro Ordinis eius loco susceptum, & institutum Procurato-
rem generalem Ordinis, cum solita auctoritate, Adm. R. P. Magistrum F. Vin-
centium Maculatum de Florentiola, nostræ Prouinciæ vtriusque Lombardiæ,
Inquisitorem Ianuensem.